E AEGYPTIARUM ΚΩΜΩΝ ADMINISTRATIONE UALIS FUERIT AETATE LAGIDARUM. † † †

SCRIPSIT

M. ENGERS.

GRONINGAE, IN AEDIBUS J. B. WOLTERS, MCMIX.

DE AEGYPTIARUM ΚΩΜΩΝ ADMINISTRATIONE
QUALIS FUERIT AETATE LAGIDARUM. † † †

DE AEGYPTIARUM ΚΩΜΩΝ ADMINISTRATIONE QUALIS FUERIT AETATE LAGIDARUM. † † †

SPECIMEN LITERARIUM INAUGURALE QUOD EX AUCTORITATE RECTORIS MAGNIFICI **G. HEYMANS,** IN FACULTATE PHILOSOPHIAE THEORETICAE ET LITERARUM HUMANIORUM PROF. ORD., AMPLISSIMI SENATUS ACADEMICI CONSENSU ET NOBILISSIMAE FACULTATIS PHIL. THEOR. ET LIT. HUM. DECRETO PRO GRADU DOCTORIS SUMMISQUE IN LITERARUM CLASSICARUM DISCIPLINA HONORIBUS ET PRIVILEGIIS IN ACADEMIA GRONINGANA RITE ET LEGITIME CONSEQUENDIS PUBLICO AC SOLLEMNI FACULTATIS EXAMINI SUBMITTET

MAURITIUS ENGERS,

WINSCHOTANUS.

KALENDIS APRILIBUS ANNO MCMIX HORA III.

GRONINGAE, IN AEDIBUS J. B. WOLTERS, MCMIX.

Typis J. B. Wolters.

Quod tu, clarissime BOISSEVAIN, *promotor aestimatissime, in oratione tua inaugurali dixisti de titulorum tractatione, qualis tunc temporis in patria nostra fuerit, id nunc optime pertinet ad papyrorum studium. Quae cum ubique, sed imprimis in Germania et Britannia, magna cum industria iam viginti per annos ita tractentur, ut disciplina papyrologica historiae antiquae cognitionem magnopere adiuvet, tamen nostrates ad hoc studium aggredi usque adhuc dubitaverunt. Quare tua adhortatione firmatus hoc opusculum scribendum libens suscepi.*

Studiis academicis finem impositurus ex intimo corde gratias tibi ago quam maximas pro omnibus tuis erga me meritis, quorum oblivio numquam me capiet. Vobis quoque clarissimi SPEYER, *nunc Leidensis*, VAN WAGENINGEN, HEYMANS, SYMONS, *quorum lectionibus longius brevius interfui, permultum me debere grato animo confiteor.*

Tibi autem clarissime VOLLGRAFF *gratias ago pro benevolentia, quam mihi praestitisti.*

Utinam et tibi, clarissime POLAK, *vivo gratias persolvere possem, cuius meritorum erga me memoria penitus animo meo est infixa.*

Tibi, clarissime PAUL M. MEYER, *Berolinensis, a quo uno, quidquid sum in papyrorum studio profectum me esse gratus fateor, semper me devinctum sentiam. Te, quamvis negotiis obrutum, in hoc libello conscribendo optimis tuis consiliis monitisque semper mihi praesidio fuisse, ex animo meo numquam excidet. Ceteris quoque praeceptoribus Berolinensibus gratias ago quam maximas.*

ARGUMENTUM.

CAPUT I.

PRAEFATIO.

Inceptum nostrum ita persequemur ut hoc in capite orsi a fontibus primo breviter exponamus universam Aegypti administrationem, qualis fuerit aetate Lagidarum, deinde de Aegyptio solo eiusque partitione tractemus, in capitibus iam sequentibus de singulis *κώμης* magistratibus agamus.

1. De Fontibus.

Aegyptii nomi administrationis ante papyros repertas fere nullam notitiam habebamus, nedum *τοπαρχίας* et *κώμης* quae sunt nomi partes. Tituli quidem nonnullorum magistratuum nomina nos docuerant, sed multum aberat ut quae fuerint eorum munera cognovissemus. Papyri demum his rebus lumen attulerunt.

Papyrus quae post nota volumina Herculanensia primum in lucem est prolata, *Papyrus* quae dicitur *Borgiana* erat, cuius argumentum iam indicatur titulo quo ab editore Nicolao Schow est ornata: *„Charta papyracea graece scripta musei Borgiani Velitris, qua series incolarum Ptolemaidis Arsinoiticae in aggeribus et fossis operantium exhibetur"* (Romae 1788)[1]). (Pap. Borg.).

---

[1]) De hac papyro cf. Wilcken, *„Observationes ad historiam Aegypti provinciae Romanae"* (Diss. Berol. 1885) p. 5. Ann. 1.

Secutae sunt editiones maiores, inter quas sunt:

„*Papyri graeci Regii Musei Aegyptii Taurinensis editi atque illustrati*" ab Amadeo Peyron (Vol. I 1826, II 1827); quarum tredecim scriptae sunt aetate Lagidarum. (Pap. Taur.).

Eiusdem editoris sunt: „*Papiri greco-egizi di Zoide dell' Imp. R. Museo di Vienna*" (1828), quae sunt duae apochae regiae mensae Memphitidis. (Pap. Zois)[1]).

Hos secutus est noster Leemans, qui anno 1843 edidit: „*Papyros graecos Musei antiquarii publici Lugduni Batavi*", quarum pleraeque pertinent ad aetatem Ptolemaeorum. (Pap. Leid.).

Anno porro 1865 editae sunt papyri quae conservantur in Museo Louvrensi; quae editio incepta a Letronnio perfecta est a Brunet de Presle et Egger: „*Notices et textes des papyrus grecs du Musée du Louvre et de la Bibliothèque impériale*".

Continentur hoc volumine papyri 71, quarum plurimae scriptae sunt Ptolemaeis regnantibus. (Pap. Paris.).

Editionum antiquiorum postremo hic commemoretur: „*Actenstücke aus der königl. Bank zu Theben in den Museen zu Berlin, London, Paris*", edita ab Udalrico Wilcken in „*Abhandlungen der Akad. der Wiss. in Berlin*" 1886, *Anhang* pp. 1–68. (Actenstücke)[2]).

Papyri, de quibus hucusque egimus, forte tantum inventae erant, plerumque emptae ab indigenis. Ex anno vero 1877 papyri data opera eruuntur. Primum effossae sunt: „*Papyri Flinders Petrie*", editae ab Ioanne P. Mahaffy (Dublini Vol. I 1891, II 1893,

---

1) Denuo editae sunt a Carolo Wessely, „*Die Griech. Papyri der kaiserlichen Sammlungen Wiens*" (*XI Jahresbericht über das k. k. Franz-Joseph-Gymnasium in Wien*, *1885*).

Agit de his papyris Wilcken in „*Actenstücke aus der königl. Bank zu Theben*" p. 22 sq.

2) De ceteris editionibus antiquioribus cf. Lumbroso, *Recherches sur l'économie politique de l'Égypte sous les Lagides* (Taur. 1870), Praef. pp. V–X.

Hic illae tantum adlatae sunt, quibus hac in dissertatione utemur.

III 1905). Volumine postremo, in quo edendo a Smylyo adiutus est, multae papyri continentur, iam editae in vol. I et II, verum postea magna cum cura recognitae et correctae. — Papyri Fl. Petrie repertae sunt in vico Gourob provinciae Fayumensis; ita autem conglutinatae erant ad involucra corporum arte medicatorum conficienda ut singulae papyri dissolvendae essent antequam legi explicarique potuerint. Omnes Papyri Fl. Petrie scriptae sunt III ante C. saeculo. (Pap. Petrie sive P. P.).

„Greek Papyri in the British Museum." Catalogue with texts. (Vol. I 1893, II 1898, III 1907.) Quorum volumina I et II edita sunt a v. c. F. G. Kenyon, vol. III a v. c. Kenyon et Bell. His autem voluminibus paucae tantum papyri continentur, quae pertinent ad aetatem Ptolemaeorum. (Pap. Brit. Mus.).

Ad Lagidarum vectigalia cognoscenda magni sunt momenti, quae anno 1896 Oxoniae in lucem prodierunt *„The Revenue Laws of Ptolemy Philadelphus", edited from a Greek papyrus in the Bodleian library with a translation, commentary aud appendices by B. P. Grenfell and an introduction by J. P. Mahaffy.* Multa sunt iussa Ptolemaei Philadelphi quorum quae Col. 1—22 continentur, quoad ex verbis mutilatis colligi possit, quae sint necessitudines inter conductores vectigalium et magistratus, inprimis *οἰκονόμον* et *ἀντιγραφέα,* constituunt; Col. 23—37 iam iubent *ἀπομοίραν,* i. e. sextam partem fructuum pomariorum et vinetorum, quae usque ad illud tempus aliis deis Aegyptiis dabatur, in posterum dari Arsinoae, Philadelphi uxori, inter deos relatae; denique Col. 38 sqq. multa praescripta complectuntur quibus olei monopolium, quod est regis, sustentetur. (Rev. Laws sive Rev. Pap.)

Ab eodem editore eodem anno edita sunt: *„An Alexandrian erotic fragment and other Greek Papyri chiefly Ptolemaic",* quarum ad Ptolemaeorum aetatem pertinent n. 9—44, anno postero: *„Greek Papyri, Series II. New classical fragments and other greek and latin papyri",* quarum Ptolemaeorum aetate scriptae sunt n. 14—39. (Pap. Grenf(ell) I et II.)

Sequuntur:

„*Papyrus ptolémaiques du Musée d'Alexandrie*, editae a v. c. A. Botti in „*Bull. de la Soc. archéol. d'Alexandrie*" II, pp. 65–73. (Pap. Alex.)

„*The Amherst Papyri*", editae a v. c. Grenfell et Hunt; quae papyri antea inter bona v. e. Lord Amherst nunc conservantur in Museo Britannico. Volumine I papyri continentur ad dei tantum cultum pertinentes, volumine II cum fragmenta scriptorum antiquorum tum diplomata, quorum n. 29–62 scripta sunt aetate Ptolemaeorum. (Pap. Amherst.)

„*The Tebtunis Papyri*", editae a v. c. Grenfell, Hunt, Smyly (Vol. I, Londinii 1902, II, 1907). De his papyris, quae magni sunt momenti ad Aegypti administrationem cognoscendam, paulo fusius agemus. Repertae sunt in vico *Ûmm el Baragât* (antiquum est Tebtunis) in parte meridiana provinciae Fayumensis. In hac provincia, quae antea nomus erat dei Sobk crocodili caput habentis, crocodilus inter sacra animalia ducebatur. Itaque posteriore Ptolemaeorum aetate, cum consuetudo orta esset ut corpora sacrorum animalium medicata sepelirentur, indigenae Fayumenses crocodilorum corpora sepelire solebant. Contigit autem Grenfellio et Huntio, ut fodientes in loco, ubi antiquus vicus Tebtunis situs erat, horum crocodilorum coemeterium invenirent, quorum nonnulli papyris involuti erant. Quas summa cum cura dissolutas lectasque voluminis I longe maior pars continet. Eam autem ob causam tanti sunt momenti quod magna pars profecta est ex vasario Menchis cuiusdam, qui annis ante C. 120–111 vici Cerceosiridis [1]) *κωμογραμματεύς* erat. Aliae huius voluminis papyri, quae paucis exceptis pacta sunt privata, scriptae sunt annis ante C. 100 usque ad 50. Contra ad Aegypti historiam melius cognoscendam magni sunt momenti n. 5 et 33, quarum illa Euergetem II, de cuius fama scriptores veteres detrahunt, nova luce

---

[1]) Est prope vicum Tebtunis.

illustrat[1]), haec demonstrat, quantum anno iam ante C. 112 Romanorum auctoritas in Aegypto valuerit.

Ex volumine II imprimis illa instrumenta notanda sunt quae pertinent ad templum sacerdotesque dei Soknebtunis. (Pap. Tebt.)

„*Les Papyrus de Magdola*", editae a Jougueto et Lefebvrio in *Bull. de Corr. Hell.* XXVI (1902) pp. 95–128, XXVII (1903) pp. 174–205; 41 papyri sunt, scriptae Euergete et Philopatore regnantibus. Repertae sunt in vico Magdola, qui est in Polemonis *μερίδι* nomi Arsinoitae. (Pap. Magdola.)

„*Papyrus grecs et démotiques*", editae a Theodoro Reinach, W. Spiegelberg et S. de Ricci adiuvantibus, (Lutetiae 1905). Harum papyrorum maior pars ad II ante C. saeculum exeuns pertinet. (Pap. Reinach).

„*The Hibeh Papyri*", editae a Grenfellio et Huntio (Vol. I Londinii 1906). Repertae sunt in vico El-Hibeh nomi Heracleopolitae. Volumine I continentur 26 fragmenta scriptorum antiquorum; praeterea magnus diplomatum numerus, quae omnia pertinent ad III ante C. saeculum. (Pap. Hibeh).

Jougueto duce papyri quae in urbe Lille conservantur, edentur; iam emissi sunt Vol. I Fasc. I et II (Lutetiae 1907/8). (Pap. Lille).

„*Papyrus Elephantine*", *Sonderpublication der Berliner kgl. Museen*, editae a Rubensohnio (Berol. 1907); quarum n. 1–5 antiquissimae sunt papyrorum Graecarum nobis conservatarum; n. enim 1–4 scriptae sunt Ptolemaeo Sotere rege, n. 5 anno ante C. 284/3. (Pap. Eleph.).

Papyrorum, quae „*Aegyptische Urkunden aus den kgl. Museen zu Berlin*" appellantur, n. 992–1012 tantum ad Ptolemaeorum aetatem pertinent. (B. G. U.). Item in „*Papyris Oxyrhynchensibus*" et „*Fayûm Towns*", editis a Grenfellio et Huntio, „*Papyris Lipsiensibus*", editis a Mitteisio, „*Papyris Genève*", editis a Nicolio, voluminibus I et II „*Archiv für Papyrusforschung*" nonnulla insunt instrumenta, Lagidis regnantibus scripta.

---

1) Cf. editorum ad hanc papyrum praefationem.

Adiciendum est ex anno 1901 omnia, quae ad disciplinam papyrologicam pertineant, auctore Wilckenio colligi in commentarios, qui appellantur: *„Archiv für Papyrusforschung und verwandte Gebiete"*; quorum hoc ad tempus edita sunt volumina quatuor.

Postremo commentarii memorentur, qui omnia opera ad papyros pertinentia componunt:

N. Hohlwein, *„La papyrologie grecque"* (Leovaniae 1905).

P. Jouguet, *„Chronique des Papyrus"* in *Revue des Études anciennes* 1903, 1905.

Paul Viereck, *„Berichte über die griechischen Papyrusurkunden 1899–1905"* in *Bursians Jahresberichte über die Fortschritte der klassischen Altertumswissenschaft 1907.*

S. de Ricci, *„Bulletin papyrologique"* in *Revue des Études grecques* 5 (1903) p. 139 sqq.

Recentiorum scriptorum opera, quatenus ad nostrum argumentum spectant, in singulis capitibus afferentur.

Duo autem sunt genera papyrorum: papyri monumenta litterarum continentes et acta sive diplomata; quorum, ut par est, haec sola a nobis sunt adhibita.

Etiam diplomatum duplex est genus: diplomata publica sunt et privata. Publica autem sunt omnia edicta magistratuum, regum, imperatorum, veluti leges, decreta, item *ὑπομνηματισμοί* sive ephemerides, apochae vectigalis soluti cet; praeterea omnes libelli a privatis magistratibus, regibus, imperatoribus dati, sive *ὑπομνήματος*[1]) sive epistolae[2]) forma concepti sunt, item professiones personarum et bonorum.

Privata vero sunt diplomata in quibus et is, qui scribit et is, cui scribitur, privati sunt, veluti pacta, epistolae cet.

Nobis ut consentaneum est diplomatum tantum publicorum ratio habenda est.

---

1) *Ὑπόμνημα* incipit: *τῷ δεῖνι παρὰ τοῦ δεῖνος.*

2) Epistola incipit: *ὁ δεῖνα τῷ δεῖνι.*

2. De Administratione[1]).

Aegyptus administrationis causa Pharaonibus iam regnantibus divisa erat in nomos; quam divisionem Ptolemaei, quippe qui universe perpauca in administratione mutaverint, retinuerunt. Nomorum numerus et fines annis vertentibus maxime mutati sunt, neque id mirum, Nilo super oras effuso fines semper obliterante. Accedit quod illius partis Aegypti, quae ad Aethiopiam spectat, fines numquam constiterunt. Itaque scriptores antiqui nomos enumerantes[2]) et inter se dissentiunt et cum Rev. Papyro, quae Col. 31 poenas quasdam singulis nomis constituit, Col. 60–72 quantum olei semen quoque nomo colendum sit praescribit; quin etiam duo hi nomorum ordines inter se non consentiunt[3]).

Nomis autem compluribus comprehensis Aegyptus tota antiquitus duas in partes divisa erat: partem septentrionalem, quae appellatur *ἡ Δέλτα* sive *ἡ κάτω χώρα*, et partem meridionalem, cui nomen est *ἡ Θηβαίς* sive *ἡ ἄνω χώρα*. Evidenter iam Wilckenius demonstravit[4]) tertiam partem quae appellatur *οἱ Ἑπτὰ νομοί* sive *ἡ Ἑπτάνομις*, qua septem nomi medii continentur[5]), inter annos demum p. C. 68 et 130 a ceteris partibus separatam esse[6]).

---

1) De Aegypti administratione, qualis fuerit aetate Lagidarum, agunt: Lumbroso, *Recherches sur l'économie politique de l'Égypte sous les Lagides*. Cap. 14 et 20.

Beloch, *Griechische Geschichte* III 1 p. 401 sq.

Bouché-Leclercq, *Histoire des Lagides* III p. 123 sqq.

2) Herodotus II, 165 nomos enumerat, ubi *μάχιμοι* habitabant.

Strabo 17, 1, 18 sqq.; Plin. *N. H.* V, 49 sq.; Ptol. IV, 5.

3) De hac re cf. Mahaffy, *Praef. ad Rev. pap.* p. XLV sqq.

4) *Griechische Ostraka aus Aegypten und Nubien*, p. 423 sqq.

5) Nomo Arsinoita ab Hadriano imperatore Heptanomidi addito: media Aegypti pars appellabatur *Ἑπτὰ νομοὶ καὶ Ἀρσινοίτης*, cf. Schwarz, *Mus. Rhen.* 51 (1896) p. 637.

6) De Aegypti partitione agunt: Wilcken, *Observationes ad historiam Aegypti provinciae Romanae* (cf. Partem I) et *Griechische Ostraka* p. 422 sqq.; Bouché-Leclercq, *Histoire des Lagides*, III p. 126 sqq.

Πάλιν δ' οἱ νομοί, ita Strabo, postquam Aegyptum in nomos divisam esse narravit, *τομὰς ἄλλας ἔσχον· εἰς γὰρ τοπαρχίας οἱ πλεῖστοι διῄρηντο, καὶ αὗται δ' εἰς ἄλλας τομάς· ἐλάχισται δ' αἱ ἄρουραι μερίδες* [1]. Nomus igitur divisus est in toparchias sive *τόπους*. Quod ad Strabonis verba plerosque tantum nomorum in toparchias divisos fuisse affirmantis, auctor id ob oculos habuisse videtur quod nonnulli nomi unam tantum toparchiam habebant: sic nomus Perithebaicus ortus erat ex una toparchia [2]. Singuli autem *τόποι* constabant e pluribus *κώμαις*. Aetate quidem Romana *κώμης* partes nobis notae sunt sc. *ἀμφοδαρχίαι*, sed an Ptolemaeis regnantibus iam fuerint, hac de re papyri certiores nos non faciunt. Quod ad aruram, quam Strabo minimam Aegyptii soli partem fuisse perhibet, non est *κώμης* pars sed mensura, qua agri modus indicatur.

Aegypto toti, item regionibus Aegypto subiectis, praeest rex, qui dominus est omnium rerum. Cum autem Seleucidae et reges Pergameni socium sibi ad civitatem regendam adsciverint, Lagidae ipsi omnia administraverunt; fisci tantum res ab initio magistratui mandatae erant, cui nomen est *διοικητής* sive *ὁ ἐπὶ τῆς διοικήσεως*, qui Alexandriae sedem suam habet [3]. Utrum praeter hunc in metropoli quaque cuiusque nomi dioecetae fuerint, dioecetae Alexandrino subiecti, necne dubitant viri docti. Omnibus argumentis perpensis unus tantum dioeceta fuisse mihi videtur. Sed II ante C. saeculo plures *ὑποδιοικηταί* fuerunt, quorum potestas ad complures nomos pertinebat. Dioecetae Alexandriae adsunt *ἐκλο-*

---

1) Strabo, 17, 1, 3.

2) Cf. Wilcken, *Actenstücke* p. 33 annot. 2.

3) Hodie eodem munere fungitur magistratus quem appellamus: „*minister van financien*".

De dioeceta agunt:

Wilcken, *G. O.* p. 492 sq.; Annot. ad *Pap. Tebt.* I, 5, 27; H. Maspero, *Les Finances de l'Égypte sous les Lagides*, p. 177–181; 203; Bouché-Leclercq, *Hist. d. Lag.*, III p. 381 sqq.

γιστής, qui omnes reditus et expensa inspicere debet [1]) et ἴδιος λόγος, qui regis rem privatam curat. In papyris II ante C. saeculi exeuntis praeterea mentio est ἐπιστολογράφου et ὑπομνηματογράφου, quorum hic ad libellos, regi datos, respondere debet, ille vero ad epistolas [2]). Quod ad res militares, Alexandriae non est unus vir, cui omnium militum imperium mandatum est, sed utrique Aegypti parti praeest ἐπιστράτηγος, qui magistratus num iam initio fuerit valde dubium est; nec enim commemoratur in ulla ex multis papyris, quae III ante C. saeculo scriptae nobis servatae sunt. Prima epistrategi Thebaidis mentio est in papyris scriptis Philometore rege [3]), qui magistratus item in papyris exeuntis II et ineuntis I ante C. saeculi nobis occurrit. Praefueritne iam saeculo II τῆς κάτω χώρας copiis ἐπιστράτηγος ambigi potest. Papyri de eo tacent nec quod in Thebaide provincia, a capite regni remotissima, ἐπιστράτηγον novimus etiam τὴν κάτω χώραν talem magistratum habuisse probare posse videtur.

Nomis Pharaonibus regnantibus praeerat νομάρχης [4]); quem magistratum Lagidae non sustulerunt sed iuxta eum nomi militibus στρατηγόν praeposuerunt. Huius vero potestas ita aucta est ut mox administrationi quoque praeesset, item cura vectigalium et securitatis disciplinaeque publicae ei mandata esset. In nomo Arsinoita, qui propter magnitudinem in tres μερίδας divisus erat (Ἡρακλείδου, Θεμίστου, Πολέμωνος), singulis μερίσι strategus praeerat; aetate vero imperatoria Πολέμωνος et Θεμίστου μερίδες uni stratego subiectae erant. — Strategus sedem suam habet in metropoli [5]), i. e. nomi capite antiquo; ibi totum nomum administrat. Ei subiecti sunt magistratus, qui singulis

---

[1]) In nostra patria hoc munere fungitur collegium, cui nomen est „*Rekenkamer*".

[2]) Eodem munere funguntur ac Romanorum a libellis et ab epistolis.

[3]) Cf. Paul M. Meyer, *Das Heerwesen der Ptolemaeer und Römer in Aegypten*, pp. 59 et 89.

[4]) Herod. II, 177, cf. Diod. I, 73.

[5]) Quatenus ad ius publicum, metropolis non est πόλις sed κώμη.

administrationis partibus praesunt; quorum *ὁ ἐπὶ τῶν προσόδων*[1]) nomi rebus fiscalibus praepositus est. Huic iam omnes magistratus parent qui fisci res in nomo curant; ex quibus hoc loco commemoretur *οἰκονόμος*, cui cura vectigalium exigendorum mandata est [2]). Me iudice in plerisque nomis plures oeconomi fuerunt; oeconomi enim munera tam multa sunt ac varia [3]) ut cogitari vix possit unum virum solum illa omnia executum esse; praeterea nomum Arsinoitam plures oeconomos habuisse papyri ipsae testantur [4]).

Deinde *τοῦ ἐπὶ τῶν προσόδων* potestati subiectus est *βασιλικὸς γραμματεύς*, cui ager nomi administrandus mandatus erat; *βασιλικῷ* autem *γραμματεῖ* parent *τοπογραμματεύς* et *κωμογραμματεύς*, qui in singulis topis vicisve agrum administrabant. Sed haec ad posteriorem tantum Ptolemaeorum aetatem pertinent; III enim ante C. saeculo non *βασιλικὸς γραμματεύς*, *τοπογραμματεύς*, *κωμογραμματεύς* agrum nomi administrant sed nomarcha, toparcha, comarcha, qui magistratus iam Pharaonum temporibus illud munus obiisse videntur.

Quae *κωμογραμματέως* et comarchae munera fuerint, id in nostra dissertatione exponemus.

Stratego securitatis publicae curam totius nomi mandatam fuisse iam supra memoravimus. Quam curam ille delegat *ἐπιστάτῃ τῶν φυλακιτῶν τοῦ νομοῦ*. Hic igitur praepositus est universis *ἀρχιφυλακίταις τοῦ τόπου* et *ἐπιστάταις κώμης*, qui topi vicive disciplinam publicam sustentare debent. *Ἐπιστάτῃ* autem *κώμης* subiectus est *ἀρχιφυλακίτης κώμης*, qui ipse praeest ministris publicis, qui appellantur *φυλακῖται* [5]).

---

1) III ante C. saeculo hic magistratus nondum erat, sed strategus ipse munera praestabat, quae postea *τῷ ἐπὶ τῶν προσόδων* delata erant. II quoque saeculo munera *στρατηγοῦ* et *τοῦ ἐπὶ τῶν προσόδων* saepe ab uno viro geruntur.

2) II ante C. saeculo novimus *οἰκονόμον ἀργυρικῶν* et *οἰκονόμον σιτικῶν*.

3) Cf. imprimis *Rev. Papyrum*.

4) Cf. *Petrie Pap.* III Praef. p. 14 (I, 16, 2).

5) De archiphylacita phylacitisque cf. caput IV, de epistata vici caput V.

Exceptae erant ab administratione quam supra exposuimus tres tantum urbes, scil. Alexandria, Naucratis (nomi Saitici), Ptolemais (Thebaidis).

Quarum Naucratis et Ptolemais liberae *πόλεις* erant, *βουλήν*, *ἐκκλησίαν*, *ἄρχοντας* habentes; contra Alexandria non erat libera, sed administrabatur a rege cum magistratibus ab eo nominatis[1]).

3. De solo eiusque partitione[2]).

Non inutile duco hoc in capite breviter agere de Aegypti solo eiusque partitione. *Κώμη* enim et vicum ipsum et circumiacentem agrum continet et ad utrumque *κώμης* magistratuum potestas pertinet. Universus autem ager divisus est in partes duas: *βασιλικὴν γῆν* et *γῆν ἐν ἀφέσει* i. e. terram, quae a *βασιλικῇ γῇ* abrepta est. De utroque genere singillatim agemus.

a. De *βασιλικῇ γῇ*.

Nemo ignorat secundum librum Genesim Aegyptum Iosephi temporibus septem per annos frumento affluentem, statim post itidem septem per annos inopia et fame pressam fuisse[3]). Iosephum vero, a Pharaone toti regno praefectum, annis fertilibus frumentum supervacaneum magna in horrea collegisse. Quare fame orta Aegyptios ad Iosephum venisse ut frumentum emerent; primo autem anno ei pecuniam pollicitos esse, secundo pecus, tertio vero anno eos fame motos agros suos Iosepho vendidisse; sacerdotum

---

1) De harum urbium administratione cf. Wilcken, *Observationes*, p. 7 sqq., Bouché-Leclercq, *H. d. L.* III p. 143 sqq.

2) De hac re agunt:
Edd. *Pap. Tebt.* in Appendice I.
H. Maspero, *Les Finances de l'Égypte sous les Lagides*, pp. 10—28.
Bouché-Leclercq, *H. d. L.* III p. 178 sqq.

3) Gen. 41 sqq.

tantum agros Iosephum non emisse, quod iis ager a Pharaone attributus esset[1]).

Ex quibus apparet libri Geneseos scriptorem haud ignorasse Pharaones totius soli, *ἱερᾷ γῇ* excepta, dominos fuisse[2]). Eodem modo Ptolemaei, qui in Pharaonum locum successerunt, domini soli erant.

Βασιλικῆς γῆς sex sunt genera:

1. *ἀπηγμένον*[3]) — i. e. terra culta ex qua vectigal debitum regi penditur.

2. *ἀπηγμένον α' ἔτους ἐκφόριον* — i. e. terra culta (*γῆ σπόριμος* sive *γῆ ἐν ἀρετῇ*) quae fallaciter pro terra rudi (*χέρσος*) cleruchis data erat; quam terram cleruchis retinere licebat, unius anni vectigali soluto.

3. *γῆ ἐν συγκρίσει* — i. e. terra cuius vectigal diminuitur.

4. *γῆ ἐν ὑπολόγῳ* — i. e. terra non culta. In duas partes dividitur: *ὑπόλογον ἄφορον ἐκτὸς μισθώσεως* et *ὑπόλογον ἐν μισθώσει.*

5. *γῆ ἐν ἐπιστάσει καὶ ὑπολογισμῷ.* — Editoribus *Pap. Tebt.* hoc genus est *„an obscure category"*[4]). Neque manifestum est quaenam sit ratio inter *γῆν ἐν ἐπιστάσει* et *γῆν ἐν ὑπολογισμῷ.* Illa, ut videtur, terra est, cuius reditus post censum generalem aucti sunt, haec terra est, quae iam ante censum rudis fuerat.

---

1)
לָמָּה נָמוּת לְעֵינֶיךָ גַּם־אֲנַחְנוּ גַּם־אַדְמָתֵנוּ קְנֵה־אֹתָנוּ וְאֶת־אַדְמָתֵנוּ
בַּלָּחֶם וְנִהְיֶה אֲנַחְנוּ וְאַדְמָתֵנוּ עֲבָדִים לְפַרְעֹה ----: וַיִּקֶן יוֹסֵף
אֶת־כָּל־אַדְמַת מִצְרַיִם לְפַרְעֹה כִּי־מָכְרוּ מִצְרַיִם אִישׁ שָׂדֵהוּ ----:
רַק אַדְמַת הַכֹּהֲנִים לֹא קָנָה כִּי חֹק לַכֹּהֲנִים מֵאֵת פַּרְעֹה

Gen. 47 : 19 sqq.

2) Cf. inprimis v. 26:

וַיָּשֶׂם אֹתָהּ יוֹסֵף לְחֹק עַד־הַיּוֹם הַזֶּה

3) De neutro cf. *P. Tebt.* I p. 560 sq.

4) *P. Tebt.* Append. I p. 576.

6. *κεχωρισμένη πρόσοδος* sive *γῆ ἐν προσόδῳ* i. e. terra, cuius reditus certam ob causam a ceteris reditibus separantur.

Apparet hanc divisionem praesertim factam esse ut facilem magistratus conspectum haberent *βασιλικῆς γῆς* eiusque redituum.

Βασιλικὴ γῆ elocatur conductoribus qui appellantur *βασιλικοὶ γεωργοί*; qui aut sunt emphyteutae (*οἱ μεμισθωμένοι εἰς τὸ πατρικόν*)[1], aut ad tempus tantum agrum conducunt.

b. De *γῇ ἐν ἀφέσει.*

Γῆ ἐν ἀφέσει divisa est in *ἱερὰν γῆν, κληρουχικὴν γῆν, ἰδιόκτητον γῆν,* alia genera.

α. De *ἱερᾷ γῇ*.

Iam supra ex loco libri Geneseos vidimus aetate Pharaonum praeter ipsos sacerdotes solos dominos fuisse agri quem colebant; ceterum solum universum regis fuisse, qui praedia conductoribus locaret. Diodoro auctore[2]) soli Aegyptii tertia pars sacerdotum erat. Neque haec res a Ptolemaeis mutata est, quamquam potestatem auctoritatemque sacerdotum indigenarum imminuere semper studebant.

Ceterum sacerdotes quoque soli quod possidebant tributa regi solvere debebant, quae illi pendere solebant ex vectigalibus, *ἱεροῖς γεωργοῖς* (conductores sunt *ἱερᾶς γῆς*) impositis. Praescriptum quidem erat ut sacerdotes ipsi vectigalibus exactis partem constitutam regi darent, sed plerumque exactores regii ab *ἱεροῖς* quoque *γεωργοῖς* vectigalia exigebant; qui parte regi debita retenta, cetera sacerdotibus tradebant.

β. De *κληρουχικῇ γῇ*.

Iam Pharaones centurionibus militibusque suis praedia tamquam praemia militiae dare solebant; quem morem Lagidae ad ministros

---

1) *P. Tebt.* I, 5, 12.

2) I, 73, 2.

publicos et magistratus producebant. Illi autem, quibus praedium tale attribuitur, eo *κληροῦχοι* fiunt; praedium iam fit *κληρουχικὴ γῆ*[1]).

Cleruchi Graeci, qui milites erant, *κάτοικοι* appellabantur, indigenae vero *μάχιμοι*[2]); quamquam re vera saepe accidit ut Graecus inter *μαχίμους* reciperetur, contra indigena inter *κοτοίκους*.

Κλῆροι fuerunt 100, 80, 70, 50, 20, 10, 7 vel 5 arurarum[3]); *μάχιμοι ἑπτάρουροι* esse solent[4]).

Cleruchus multa tributa pendere debebat; quibus non solutis praedium fiebat *κατόχιμος (κλῆρος ἐν κατοχῇ)*. Alii iam clerucho, qui vectigalia residua penderet, talem *κλῆρον* occupare licebat. *Κλῆρος* est hereditaria; filius maximus natu in patris locum succedere solet; nonnumquam vero accidit ut *κλῆρος* inter liberos distribuatur.

Heredes milites fieri opus non erat. Cleruchus prognatus ex aliquo, qui erat (ut hoc utar) copiarum Persicarum, *Πέρσης τῆς ἐπιγονῆς* appellatur.

γ. De *ἰδιοκτήτῳ γῇ*.

Quaestio est praediane privata in Aegypto fuerint; hoc genus enim in omnibus vici Cerceosiridis praediorum censibus, quos habemus[5]), omnino deest. Quod editores *Pap. Tebt.* eo accidisse putant, quod magna pars nomi Arsinoitae, in quo Cerceosiris vicus situs est, Ptolemaeis demum regibus, siccata et culta sit; quare terram illo in nomo plurimam aut *βασιλικὴν* fuisse aut rege largiente *κληρουχικὴν* factam vel *ἱεράν*; contra in aliis Aegypti partibus praedia privata non defuisse. Quod ut demonstrent laudant

---

1) Praedia illa ex agro rudi sive *χέρσῳ* sumi oportebat; saepe vero in papyris cleruchi **σπόριμον** pro *χέρσῳ* accepisse dicuntur.

2) Cf. Herod. II, 164.

3) Arura idem valet ac 2282 M^2.

4) De exercitu Aegyptio agunt: Paul M. Meyer, *Das Heerwesen der Ptolemaeer und Römer in Aegypten.* W. Schubart, *Quaestiones de rebus militaribus quales fuerint in regno Lagidarum* (Diss. Vratislaviae 1900).

5) *Pap. Tebt.* I, 60–78, 84, 85, 88.

Pap. Tebt. I, 124, 32 et 38, ubi mentio est *ἰδιοκτημόνων*[1]). Contra Maspero agrum privatum in Aegypto omnino non fuisse putat, *ἰδιοκτήμοσι* vero, qui in *P. Tebt.* 124 commemorantur, significari „agricultores qui non sint cleruchi"[2]). Igitur in eorum numero etiam *βασιλικοὺς γεωργούς* ducit. Sed praeterquam quod nullo pacto fieri posse mihi videtur, ut *βασιλικοὶ γεωργοί* cleruchis oppositis „*ἰδιοκτήμονες*" appellentur, apparet ex *Pap. Tebt.* I, 5, 110/1 *γῆν ἰδιόκτητον* in *γῇ ἐν ἀφέσει* poni, ergo pertinere ad solum universum *βασιλικῇ γῇ* ipsa excepta[3]).

δ. Ex aliis generibus, quae sunt *γῆς ἐν ἀφέσει*, hic *κώμη* sive *γῆ ἐν δωρεᾷ* sola commemoretur: rex interdum aliquem vico aut agro donabat; is autem qui accepit vectigalium illius vici vel agri facultatem habet.

Postremo adiciendum est vectigalia aut frumento aut pecunia solvi. Frumentum colligitur in *θησαυρόν*, qui in quoque vico est; ei praesunt *σιτολόγοι*[4]); pecuniae vero traduntur uni ex mensis regiis, quae in compluribus nomi vicis a *τραπεζίταις* habentur[5]). Idcirco autem haud inutile duxi haec omnia exponere, quod *κώμης* magistratibus, de quibus in capitibus sequentibus agemus, ante omnia cura agrorum, qui erant in vici territorio, imposita erat.

---

1) *Pap. Tebt.* I, Append. I, p. 542 sq.

2) *Les Finances*, p. 26.

3) *Τὴν ἰδιόκτητον καὶ τ[ὴν ἱερὰν καὶ τὴν κληρουχικὴ]ν καὶ τὴν ἄλλην τὴν ἐν ἀφέσει.*

4) De *θησαυροῖς* agit Wilcken, *Gr. Ostraka*, p. 649 sqq.

5) De *τραπέζαις*, cf. ibidem, p. 630 sqq.

CAPUT II.

De *κωμογραμματεῖ* [1]).

I.

Iis, qui agunt de *κωμογραμματέως* et *κωμάρχου* Aegyptiorum potestate, ratio habenda est huius rei, quod illi magistratus bis partes mutaverunt. Priore enim Ptolemaeorum aetate cum comarcha *κωμογραμματέα* et auctoritate et potestate superavisset, hic inde ab II ante C. saeculo usque ad III p. C. saeculum illi antepositus erat; sed III p. C. saeculo comarcha iterum in *κωμογραμματέως* locum successit.

Κωμογραμματέα initio comarchae subiectum fuisse, iam ex nominibus ipsis apparet; quod etiam papyris quas habemus antiquissimis affirmatur. Scribit enim Cleander quidam *οἰκο[νό]μοις, νομάρχ[αις], βασιλικοῖς γραμματεῦσι, φυλακί[ται]ς μυριαρούροις, κωμάρχα[ις], κωμογραμματεῦσι* [2]), comarchas igitur *κωμογραμματεῦσι* anteponit. Et Heraclides magistratus alium magistratum iubet *μετρῆσαι τοῖς ὑπογεγραμμένοις γεωργοῖς διὰ τῶν κωμαρχῶν καὶ κωμογραμματέων δάνειον εἰς τὸν σπόρον τοῦ κρότωνος κτλ.* [3]).

---

1) De *κωμογραμματεῖ* agunt: N. Hohlwein, „*L'Administration des villages égyptiens à l'époque gréco-romaine*" (*Musée belge* X, p. 38–58).

Bouché-Leclercq, *Histoire des Lagides* III, p. 392 sqq.

H. Maspero, *Les Finances de l'Égypte sous les Lagides*, p. 201 sq. et p. 217 sqq.

2) *P. P.* II, 42 (a) (corr. III, p. 117).

3) *P. P.* III, 89.

Praeterea munera gravissima, quae II ante C. saeculo *κωμογραμματέως* erant, III ante C. saeculo comarchae mandata fuisse infra videbimus.

Sed quo tempore alterius potestas aucta, alterius deminuta sit, papyris et exeuntis III et ineuntis II ante C. saeculi deficientibus, non constat.

Editores igitur *Pap. Tebtunis* dicentes: „*the form of the address and salutation here indicates that the position of komarch was superior to that of komogrammateus*"[1], eatenus tantum ad veritatem accedere mihi videntur, quod comarcha iure fortasse semper *κωμογραμματεῖ* superior fuit, re vera hic illum maxime superavit. Neque epistolae inscriptio („*the form of the address*") etiamtum anno ante C. 112, quo papyrus scripta est, comarcham *κωμογραμματεῖ* superiorem fuisse demonstrat. Editores enim ipsi dicunt[2]: „*But in 48 the komarch Horus and the πρεσβύτεροι address Menches as if he were a superior*[3], *and in his letters to officials.... Menches habitually puts his own name first, even where they were much superior to him in rank. The order of the names in the salutation is therefore not always a sure guide for determining rank, since it is complicated by the degree of familiarity between the correspondents.*"

In errore versantur tempora non distinguentes: magna enim administrationis mutatione exeunte III vel ineunte II ante C. saeculo facta *Pap. Petrie*, scriptae III ante C. saeculo, non ad easdem condiciones pertinent ac *Pap. Tebtunis*, quae scriptae sunt exeunte II ante C. saeculo. *Κωμογραμματέα* exeunte ante C. saeculo II in comarchae locum successisse docet *P. Grenfell* II, 37, qua virum quendam *πρὸς τῆι οἰκονομίαι τῆς κώμης* constitutum

---

1) Praef. *Pap. Tebt.* I, 22, cui inscriptum est: *Ταῶς κωμάρχης καὶ οἱ πρεσβ[ύ]τερ[οι] Μεγχεῖ* (i. e. *κωμογραμματεῖ*) *χαίρειν*.

2) Ibidem.

3) *P. Tebt.* I, 48 inscriptio est: *Μεγχεῖ κωμογραμματεῖ Κερκεοσίρεως παρὰ Ὥρου κωμάρχου καὶ τ[ῶν] πρεσβυτέρων τῶν γεω(ργῶν) τῆς αὐτῆς* (sc. *κώμης*).

esse nomi Pathyritis magistratus certiores fiunt; inter quos nominantur *ὁ ἐπιστάτης Παθύρεως καὶ . . . καὶ τοπογραμματεὺς καὶ κωμογραμματεὺς καὶ σιτολόγος καὶ τραπεζίτης καὶ οἱ πρεσβύτεροι τῶν γεωργῶν καὶ οἱ ἄλλοι οἱ τὰ βασιλικὰ πραγματευόμενοι.* Deest comarcha.

Sed iam de *κωμογραμματέως* potestate disseremus videbimusque quid papyri nos doceant.

II.

1. *De nominatione.*

Uni ex *κώμης* incolis munus *κωμογραμματέως* defertur a dioeceta Alexandrino, qui totius Ptolemaeorum regni fisco praeest:

Μεγχῆι τῶι ὑπὸ τοῦ διοικητοῦ καθεσταμένωι πρὸς τῆι κωμογραμματείαι Κερκεοσίρεως κτλ.[1]);

unde apparet *κωμογραμματεῖ* ante omnia mandatum fuisse ut regis rationibus consuleret.

Vacante munere vel fungentis tempore peracto dioeceta *βασιλικῶι γραμματεῖ* renuntiat quemnam nominaverit; hic *τοπογραμματέα*, *τοπογραμματεύς* eum qui nominatus est per litteras certiorem facit:

Ἀσκληπιάδης Μαρρεῖ χαίρειν. Μεγχῆι τῶι ὑπὸ τοῦ διοικητοῦ καθεσταμένωι πρὸς τῆι κωμογραμματείαι Κερκεοσίρεως . . . . . μετά[δ]ος τὰ τῆς χρείας γράμματα[2]);

ex quibus et *βασιλικὸν γραμματέα* et *τοπογραμματέα* in nominandis *κωμογραμματεῦσι* multum valuisse colligi potest.

---

1) *Pap. Tebt.* I, 10.

Testa, Hermonthide inventa, agit de multa *κωμογραμματεῖ* a dioeceta imposita, cf. Wilcken *G. O.* II, n. 1615.

2) *Pap. Tebt.* I, 10.

Marrem *τοπογραμματέα* esse apparet ex inscriptione quae est in aversa epistolae parte: *τοπογρ(αμματεῖ) Μαρρεῖ;* huic magistratuum superiorum iussa *βασιλικὸς γραμματεύς* mittere solet, cf. *Pap. Tebt.* I, 31; *Pap. Taur.* I, 4, 5 sqq; *Pap. Lille* I, I, 3, 70–85.

2. *De muneris tempore.*

Mandatur munus statum tantum in tempus; quo completo prorogatione opus est. Menches enim ille in epistola scribit: *Παρὰ Μεγχείους κωμογραμματέως Κερκεοσιρ[έ]ως. κατασταθεὶς πρὸς [τ]ῆι προυπαρχούση[ι] μοι κωμογραμματείας* (lege —*αι*), *δώσω ἐν τῆι κώμηι πυροῦ μὲν ἀρ[τά]βας ν κτλ.* [1]), promittit igitur *κωμογραμματεύς* congiarium se daturum esse si rursus creatur.

Sed quot ad annos creatio pertineat ex papyris adhuc repertis non apparet.

Constat alicui licere per plures annos continuos hoc munere fungi: Menches enim, qui Cerceosiride *κωμογραμματεύς* iam est anno ante C. 119 [2]), idem munus adhuc gerit anno ante C. 111 [3]), cum annorum omnium interpositorum acta extent [4]) ab eo scripta.

3. *De nominationis condicionibus.*

Menches creatur ea condicione, ut agri rudis, qui est Cerceosiride, decem aruras colat, ex quo quotannis 50 artabas tritici (vel alius frumenti eiusdem pretii) fisco solvat:

Μεγχῆι τῶι . . . καθεσταμένωι πρὸς τῆι κωμογραμματείαι Κερκεοσίρεως ἐφ' ὧι κατεργᾶται τοῖς ἰδίοις ἀνηλώμασιν ἀπὸ τῆς

---

1) *Pap. Tebt.* I, 9.

Editores de hac epistola dicunt: „*it is not impossible, that these promises were a bribe, offered by Menches to his superiors in the village*"; in eorum sententiam eunt et Bouché-Leclercq (*H. d. L.* III p. 397) et Hohlwein (*Mus. belge* X p. 46), iniuria ut mihi videtur. Tales enim largitiones chartae mandari non solent, praeterea qui sint superiores *κώμης* magistratus nescio. Et verba *ἐν τῆι κώμηι* illorum opinioni contradicere mihi videntur. Meo iudicio congiarium intelligendum est, quod Menches *κώμης* incolis esse daturum se promittit.

2) *Pap. Tebt.* I, 9.

3) Ibid. 70.

4) Cf. *Pap. Tebt.* passim.

ἀναφερομένης περὶ τὴν κώμην ἐν ὑπολόγωι γῆς (ἀρούρας) δέκα (ἀρταβῶν) πεντήκοντα κτλ.[1]).

Τοπογραμματεῖ vero ut *κωμογραμματεύς* promissis stet cura mandatur:

καὶ φρόντισον (sc. *τοπογραμματεῦ*) *ὡς τὰ τῆς ὑποσχέσεως ἐκπληρωθήσεται*[2]).

An Hohlweinius ex hoc uno exemplo iure colligat *κωμογραμματέα* quemque certis tantum muneribus susceptis creari[3]), vix est quod diiudicem. Fieri potest ut Cerceosiride *κωμογραμματεία* fungenti magno lucro fuerit. Quamquam constat dioecetam saepe fisci augendi causa magistratibus munera imposuisse[4]).

4. *Quibus munus deferatur.*

Κωμογραμματέων nomina quae in papyris reperta sunt, paucis exceptis[5]), Aegyptia sunt; unde semper indigenis hoc munus delatum esse, numquam Graecis, colligi potest. Plerumque ex *βασιλικῶν γεωργῶν* aliquem creari verisimile est, ut et hodie in nostra patria in pagis minoribus interdum agricola vel tabernarius summum magistratum obtinet. Sic Sentheus quidam, teste *Pap. Petrie* III, 31, et *βασιλικὸς γεωργός* et *κωμογραμματεὺς κώμης Λυσιμαχίδος* est.

Et Menches quoque, nisi iam antea *βασιλικός* fuit *γεωργός*, decem agri rudis aruras se culturum esse promittens[6]) inter *βασιλικοὺς γεωργούς* recipitur.

5. *De salario.*

Quaeritur an *κωμογραμματεῖς* pro officiis regi praebitis mercedem acceperint. Accepisse mihi persuasum est, quamquam

1) *Pap. Tebt.* I, 10.
2) Ibidem.
3) *Mus. belge* X p. 45.
4) Cf. annot. ad *Pap. Tebt.* I, 5, 19–21.
5) e. g. *Εὔπολις* – *Pap. Hibeh* I, 103 et 104.
6) Cf. paragraphum praecedentem.

testimonia desunt. Est quidem *Pap. Grenfell* I, 22 apocha decem talentorum περὶ τῆς τοπογραμματήας, item decem talentorum περεὶ τῆς κομογραμματήας: quae tamen pertinere ad impensas administrationis utriusque magistratus tolerandas potius crediderim quam salarium esse, praesertim pecuniae summis haud differentibus. Sed κωμογραμματέως munera tot tantaque erant ut mercede eum caruisse vix putem, praesertim cum interdum plus quam decem annos continuos munus suum gereret.

Praeterea aetate Romana vectigal est, quod appellabatur φιλάνθρωπον κωμογραμματεῖ[1]).

Sed iam transeamus ad munera κωμογραμματεῖ imposita.

III.

De κωμογραμματέως muneribus.

Iam supra inter Ptolemaeorum antiquiorem aetatem et posteriorem distinguendum esse dixi; III enim ante C. saeculo illum comarchae subjectum fuisse, II saeculo exeunte antepositum. Audiendus igitur non est Hohlweinius, qui de κωμῶν Aegyptiarum administratione agens, κωμογραμματέως potestatem semper eandem fuisse perhibet. Similiter errat, si licet parvis magna componere, qui de senatu Romano disserens, potestatem eius semper talem fuisse contendat, qualis fuerit post secundum bellum Punicum.

1. *De κωμογραμματέως muneribus in vectigalibus exigendis*[2]).

Vectigalia instituere, tollere, item minuere, augere regis est, cuius vicem agit dioeceta; qui res ad vectigalia pertinentes in sin-

---

1) Cf. *B. G. U.* 199; 652; *P. Lond.* CCCXLVII; Wilcken *G. O.* p. 401 (§ 211).

2) De vectigalibus Aegypti cf. librum praestantissimum Udalrici Wilcken, „*Griechische Ostraka aus Aegypten und Nubien*" (Berlin u. Leipzig 1899), qui

gulis nomis stratego delegat, cui adest *βασιλικὸς γραμματεύς*. Strategus iam vectigalium quorundam curam in singulis *κώμαις*[1]) *κωμογραμματεῖ* mandare solet.

Ut *κωμογραμματέως* officia hac in re cognoscamus, disputatio *Papyris Tebtunis* nisa ab II ante C. saeculo proficiscatur necesse est.

Exordiamur a *Pap. Tebt.* I, 29: duo *κώμης* incolae chrematistis[2]) *ἔντευξιν*[3]) dederunt, qua *κωμογραμματέα* accusant, quod eos agrum defraudaverit.

Ille in ius vocatus rogat ut causa differatur in posterum, quod multis muneribus obrutus sit; quae ita exponit:

καθ[εστη]|κότος οὖν τοῦ δέοντος και[ρ]οῦ τῆς τ[ρύγης?]| φρο[ν]τίδος ἱκανῆς φορολογίας περι[σσῆς]| οὔσ[η]ς καὶ διαγραφῆς μοι ἐπικειμένηι (l. — *νης*) *[τῶν ὑ]|πο[κε]ιμένων ˋτῆς χρήας* (l. — *τῆι χρείαι*) *βασιλ[ικῶν]| καὶ πυρίνου μερισμοῦ*[4]).

Hoc dicit, tempus cum sit demetendi, suum esse vectigalia exigere, sibique impositum esse ut tabellas conficiat[5]) eorum vectigalium quae sunt *ὑποκειμένα τῆι κωμογραμματείαι*.

---

omnium papyrorum testarumque, quae usque ad annum p. C. 1899 inventae erant, rationem habet. Multis autem papyris postea repertis editisque liber vix obsolevit. Quem librum quasi ducem ac magistrum quicunque de Aegyptiis vectigalibus aget sequetur.

Cf. praeterea H. Maspero, *Les Finances de l'Égypte sous les Lagides.*

1) Aetate Romana interdum duae *κῶμαι* ab uno *κωμογραμματεῖ* administrantur, cf. *B. G. U.* I, 20; II, 484; Hohlwein *l. l.* p. 43.

2) Sunt iudices Graeci quorum potestas descripta est *Pap. Tebt.* I, 5, 207–214. De iis cf. O. Gradenwitz, *Das Gericht der Chrematisten.* (*Archiv* III p. 22 sqq).

3) Cf. Paul M. Meyer, in *Klio* VI p. 424; 459 sq: *„die formell an den König, tatsächlich an diese Königsstellvertreter* [sc. *στρατηγὸν τοῦ νομοῦ* et *χρηματιστάς*] *gerichteten Klagen heissen ἐντεύξεις.*"

R. Laqueur, *Quaestiones epigraphicae et papyrologicae selectae* (Diss. Argentorati 1904), de II ante C. saeculo tantum agens, *ἔντευξιν* ea aetate petitionem esse demonstrat, missam ad regem vel chrematistas, *ὑπόμνημα* petitionem ad magistratus missam; cf. Wilcken, *Archiv* II p. 224.

4) Vv. 10–15; supplementa praeter *τ[ρύγης]* satis certa sunt.

5) Editores quidem interpretantur: *„and I have impending the payment of the taxes"*, sed cum *„διαγραφή"* saepe eandem vim habeat ac Latinum *„tabellae"*

Constat in Aegypto vectigalia partim locari, partim a magistratibus exigi, quos pecuniarum acceptarum rationem reddere oportet. Quae a magistratibus exiguntur dicuntur *ὑποκειμένα τῇ χρείᾳ* (veluti *τῇ ἐπιστρατηγίᾳ* vel *τῇ κωμογραμματείᾳ*). Iam Wilckenio, cum *„Ostraka"* sua scriberet, hoc institutum notum erat exemplaque attulit, quae vero ad aetatem Romanam tantum pertinent[1]. Quorum duo commemorant vectigalia *ὑποκειμένα τῇ κωμογραμματείᾳ*[2]. Quaenam autem vectigalia tunc illi muneri *ὑποκειμένα* essent, neque ex *B. G. U.* 337 neque ex 902 apparet.

Sed anno 1899 deerant exempla, Ptolemaeorum aetate scripta; unde Wilckenius institutum illa aetate nondum extitisse collegit: *„Für eine derartige Verteilung der Steuern unter das reguläre Beamtenpersonal liegt, wie bemerkt, aus der Ptolemäeerzeit meines Wissens kein Beleg vor. Es ist mir auch sehr fraglich, ob wir für jene Zeit diese Einrichtung supponiren sollen*[3]."

Iniuria ut ex nostra papyro apparet, unde iam II ante C. saeculo quaedam vectigalia fuisse *ὑποκειμένα τῇ κωμογραμματείᾳ* elucet. Et feliciter accidit ut quaenam fuerint *ὑποκειμένα τῇ κωμογραμματέως χρείᾳ* cognoscamus. Legimus enim *Pap. Tebt.* I, 89, 1 sqq.:

Ἔ[του]ς δ, παρὰ Μεγχείους κωμογραμματέως Κ[ερ]κεοσίρεως.

(e. g. *P. Tebt.* I, 88, 9), praeterea *Pap. Tebt.* I, 93–98 tabellae vectigalium, a *κωμογραμματεῖ* confectae, nobis conservatae sint, verba *διαγραφῆς μοι ἐπικειμένης τῶν ὑποκειμένων τῆι χρείαι βασιλικῶν* ita intelligere malim ut *κωμογραμματεύς* dicat se occupatum esse in tabellis conficiendis, quae vectigalium relationes contineant. Quod si ita est, verba quoque *καὶ πυρίνου μερισμοῦ* dilucida fiunt; vocabulo enim *μερισμός* idem valente ac Latinum *„distributio"* editorum interpretatio (*„and I have impending the payment of the taxes) and items of the corndues"* minus satisfacit. *Κωμογραμματεύς* agere videtur de distributione seminis, quod quotannis nomine regis ab eo suae *κώμης* agricolis mutuo datur; cf. *B. G. U.* 20 et 512, ubi *κωμογραμματεύς* praeest *μερισμῶι σπερμάτων*.

1) *G. O.* p. 596–98.

2) *B. G. U.* 337 et 902.

3) *G. O.* p. 598.

προδιαλογισμὸς σιτικὸς ἐπικεφαλαίου τοῦ αὐτοῦ (ἔτους) ὑποκειμένων τῶν ἐγδιῳκημένων ἕως Μεσορὴ λ.

Ergo relationem habemus tributorum frumento solvendorum, quorum cura *κωμογραμματεῖ* mandata est; quam relationem factam esse ad censum tributorum generalem conficiendum verisimile est. Menches autem tributa enumerat, quae suo muneri *ὑποκειμένα* sunt:

μισθὸς βασιλικῆς γῆς,
δάνεια σπερμάτων,
τριχοίνικον,
θησαυροφυλακικόν (sive — *κιτικόν*),
κράστις Θηβαίων,
tributa semiartabae et *γραμματικοῦ* quae *κληροῦχοι* et templa solvere debebant,
εἰσφορά quae *ἐρημοφύλαξιν* [1]) imposita erat,

Quorum *μισθός* et *δάνεια* proprie non sunt tributa: *μισθὸς βασιλικῆς γῆς* enim est vectigal agri conducti, quod *βασιλικοὶ γεωργοί* regi solvunt, *δάνεια* autem *σπερμάτων* sunt semina, ante tempus serendi agricolis a rege mutuo data, post messem factam restituta [2]). Quae sint *τριχοίνικον*, *θησαυροφυλακικὸν*, *κράστις Θηβαίων* nescimus [3]), sed ea fisco solvi a *βασιλικοῖς γεωργοῖς* constat [4]). Ex quibus effici potest tributa quae *ὑποκειμένα* erant *τῇ κωμογραμματείᾳ* exigi solere a *βασιλικοῖς γεωργοῖς*, *κληρούχοις*, cultoribus *ἱερᾶς γῆς*, i. e. ab illis incolis, qui *κώμης* agros colunt. Minime mirum id quidem ante oculos habentibus quantum valeat *κωμογραμματεύς* in *κώμης* agro administrando [5]).

Aliae quoque papyri confirmant quod ex hac una effecimus:

---

1) Sunt, ut nomen indicat, agrorum desertorum custodes.

2) Cf. *Pap. Tebt.* I, annot. ad 61*b*, 313–316.

3) Ibid. ad 317–319.
θησαυροφυλακικόν tributum esse videtur pro *θησαυροῦ* custodia.

4) Cf. *Pap. Tebt.* I, 68, 88–90; 70 *praefat.;* 263.

5) Cf. par. 3. huius capitis.

Pap. Tebt. I, 93—98, quae continent tributorum relationes, in *κωμογραμματέως* officio confectae sunt: nam n. 93, 94, 98 Menchis ipsius manu scriptae sunt [1]; 95 autem tam similis est n. 93 et 94 ut dubitari nequeat quin et haec ibidem scripta sit; verba *Διδύμου κωμογρα(μματέως)* in aversa papyri 96 parte scripta, *κωμογραμματέα* scripsisse chartam docent; iure denique editores ex papyri 97 verbis [2], typis non mandatis, et hanc in Menchis officio scriptam esse colligunt.

N. 93—98 tabellae sunt nomina continentes *κώμης* incolarum, litterarum ordine disposifa, scil. *βασιλικῶν γεωργῶν* [3] et *κληρούχων* [4], item deorum, quibus fundi sunt [5], addito quae sit magnitudo agrorum a singulis cultorum, quanta sint *μισθός* ceteraque tributa, quae quisque fisco solvere debet. Haec autem tributa eadem sunt atque ea quae supra vidimus *ὑποκειμένα* fuisse *τῇ κωμογραμματείᾳ*, additis nonnullis, in 89 non commemoratis [6].

Ex his quae diximus apparet *κωμογραμματεῖ* mandatum fuisse ut tabellas conficeret, in quibus tributa sibi *ὑποκειμένα* singillatim secundum personas enumerarentur. Quare haud scio an ad has rationes Menches referat, scribens chrematistis: . . . . *διαγραφῆς μοι ἐπικειμένης τῶν ὑποκειμένων τῆι χρείαι βασιλικῶν* [7].

Neque desunt aliae papyri quae munus tributorum exigendorum *κωμογραμματεῖ* fuisse demonstrant. Sic Polemo quidam ad Menchem scribit:

Πολέμων Μεγχεῖ χαίρειν. ἐπεὶ διέγνωσται τὸν ἐπιμελητὴν παραγίνεσθαι ἅμ' ἡμέραι τῆι ιε εἰς Βερενικίδα τῆι δὲ ις παράγειν

---

1) Cf. *Praef.* ad 93 (in p. 413 ima).

2) *Μεγχῆς αὐτὸς γρ(αμματικοῦ), Μεγχῆς αὐτὸς κριθῆς κηβ' κτλ.* Vocabulum *αὐτός* demonstrare videtur Menchis scribas hanc rationem scripsisse cf. p. 427 i. f.

3) 93 Col. I—III; 94; 95; 96; 97 (?); 98, 1—26.

4) 98, 41 usque ad finem.

5) 93 Col. IV; 98, 27—40.

6) Cf. *Praef.* ad 93.

7) *Pap. Tebt.* I, 29; vide supra p. 22.

τὴν κώμην εἰς Θεογονίδα, στόχασαι ὡς πάντα τὰ ἐνοφειλόμενα περὶ τὴν κώμην ἐν μέτρωι ἔσται ὅπως μὴ ἐπικατασχὼν αὐτὸν εἰς δαπάνας ἐμπέσῃς οὐκ ὀλίας [1]).

Polemo Menchem admonet ut, cum epimeleta libros expensarum et redituum inspecturus immineat, quaecunque ad *κώμην* pertinentia regi debentur diligenter tabellis conscribenda curet. Unde apparet exeunte II ante C. saeculo epimeletam [2]) *κωμογραμματεῖ* praepositum fuisse.

Idem innuere Polemo videtur ad Menchem in alia epistula scribens: *ἐπεὶ παραγεινόμεθα ἅμ' ἡμέραι τῆι κθ φρόντισον ὡς πάντα [τ]ὰ ἐνοφειλόμενα ἑαυτῶι καὶ τοῖς γεωργοῖς ἐμ μέτρωι ἔσται τῆι αὐτῆι* (sc. *ἡμέρᾳ*) [3]).

Hic non agi de Menchis ut hominis privati aere alieno consentaneum est, sed verba significare videntur: cura ut et quae tu ut magistratus et quae *γεωργοί* fisco debeant, solvantur.

Pap. Tebt. I, 159, a Menche scripta, est *εἰσδοχὴ κατ' ἄνδρα [τοῦ με]μετρημένου σίτου Πτολεμαίωι καὶ Πα[....] τοῖς σιτολογοῦσι τὸ περὶ αὐ(τὴν) ἐργα(στήριον) ἀπὸ τῶν γενη(μάτων) τ[οῦ αὐ(τοῦ) (ἔτους)].*

Vectigalia de quibus Menches in hac papyro agit, exacta sunt ab incolis qui *κώμης* agrum colunt; sunt enim soluta *ἀπὸ τῶν γενημάτων*. Frumentum quidem *σιτολόγοις* traditum est, quippe qui *θησαυρῷ* praesint [4]), sed *κωμογραμματέα* rationem eius reddere oportet, eius est in libros expensarum et redituum id referre.

Postremo mentio fiat epistolae, in qua Polemo frater, qui etiam magistratum quendam obtinet [5]), ad Menchem haec scribit:

---

1) *Pap. Tebt.* I, 17.

2) Epimeleta nomi magistratus est, cui res fiscales curandae mandatae erant; verum quemnam locum in magistratuum ordine obtinuerit parum constat. De eo cf. Bouché-Leclercq, *Hist. d. Lag.* III p. 391; Maspero, *Les Finances* p. 220 sqq.

3) *Pap. Tebt.* I, 18.

4) Cf. supra p. 15.

5) Quemnam magistratum hic Polemo habeat, nescio, sed iniuria edd. *Pap. Tebt.* in praefatione n. 17 eum *ἐπιστάτην κώμης* fuisse perhibere mihi videntur. Res enim ad vectigalia pertinentes ab epistata alienae sunt. Cf. caput V.

. . . . *καὶ ἐν τοῖς δὲ ἄλλοις χαριῆι καταταχήσας τὰ τῆς εἰσαγωγῆς* [1].

Quae cum ita sint sic concludo: exeunte II ante C. saeculo *κωμογραμματεύς* illa tributa exigit administratque quae regi debita sunt a *βασιλικοῖς γεωργοῖς, κληρούχοις*, cultoribus *ἱερᾶς γῆς*.

Quod attinet ad III ante C. saeculum, in papyris non desunt indicia unde *κωμογραμματεῖ* iam tunc partem saltem illius muneris mandatum fuisse conicias.

Pap. enim *Petrie* III, 71 [2]) legitur sic:

. . . . *λόγος χλωρῶν* [3])
παρὰ Πτολεμα[ίου . . . .]. τῶν
περὶ τ[ῶ]ν ἐρυμων (?) τόπων
καὶ Πετε[σο]ύχου κωμογρ. καὶ
ἐκ τοῦ γ̄ [. . . .] . . . . εως
Χοίαχ λ̄ .

sequi videntur nomina *γεωργῶν*, numerus arurarum a singulis *χλωροῖς* satarum, quantum *μισθοῦ* singuli solvant. Quod si ita est, apparet iam anno ante C. 249, quo anno hae tabellae scriptae sunt, *κωμογραμματέα* aliis magistratibus auxilio fuisse in tributorum tabellis conficiendis; qui vero magistratus fuerint propter versus 4 lacunam nescimus.

Confirmare haec videtur altera papyrus in qua scriptum est:

---

1) *Pap. Tebt.* I, 19, 13 sq.

2) P. 198 = II, 7.

3) Mahaffyi lectio *(χωρῶν)* correcta est a Wilckenio (*P. P.* III *Add. et Corr.* p. XIX), recte sine dubio; nam quod sequitur non est ratio agrorum sed herbarum *(χλωρῶν)*.

Pro *ἐρυμων* in versu 5, quod sensu idoneo caret Mahaffyus conjecit *δρυμῶν*; ego cogitavi de *ἐρυμνῶν*, quod adjectivum etiam substantive usurpatur *Xen. Anab.* 5, 7, 31. Nomen illi *τόπῳ* fuisse crediderim: *οἱ περὶ τῶν ἐρυμνῶν τόποι*, cf. *Pap. Lille* I, I, 3, 73.

Mahaffyo autumanti in v. 7 titulum *κωμογραμματέως* intercidisse assentiri nolim.

Μιύσιος τοπογρ(αμματέως) [1].
Ἐν(τολὴ) τοῖς παρὰ Μητροδώρου τοῦ οἰκ[ο(νόμου) καὶ τοῖς τοπογρ(αμματεῦσι)?] [2]
καὶ τοῖς κωμογρ(αμματεῦσι) καὶ ἀρχιφυ(λακίταις) καὶ φυλα-κ[ίταις].
Ἐπειδὴ Πετεαρχῆβεις ὁ τοπογραμματ[εὺς τῶν τόπων]
[τῶν π]ερὶ Φιλαδελφείαν τὴν προσοφε[ιλομένην]
πρὸς ἣν ἐμεμίσθωτο γῆν ἐκ τοῦ β[α(σιλικοῦ) . . . .
. . . . , ἀνακεχώρηκε[ν
ἤδη δ , συντετάχαμεν Μιύσει τῶι τοπ[ογρ(αμματεῖ) ἐπὶ]
τούτους ἐπιπορεύεσθαι τοὺς τόπο[υς . . . .
λόγους ἐκκομίζεσθαι . . . .
. . . .
. . . . *ἐπιδιδότωσαν ο[ὖν*
οἱ κ[ω]μογραμματεῖς τοὺς λόγους κτλ.

Verba quamvis hiulca *τοπογραμματέα* Petearchebin, conductorem *βασιλικῆς γῆς*, peculatu facto aufugisse docent. *Τοπογραμματεῖ* Miusi, qui *τόπῳ* vicino praeest, mandatur ut Petearchebis *τόπον* adiens res examinet restituatque. Quod ut efficiat, omnes illius *τόπου κωμογραμματεῖς* ei *λόγους ἐκδιδόναι* iubentur, i. e. me iudice, rationes facere debent tributorum quae *τοπογραμματεῖ* fraudatori tradiderant.

---

[1] *Pap. Lille* I, I, 3, 70—85.

[2] Editor Jougetus versu 71 supplet *τοῦ οἰκ[ο(νόμου) καὶ τοῖς τοπογρ(αμματεῦσι)]* et adnotat: [. . . *καὶ τοῖς τοπογρ(αμματεῦσι)]* „*Cette restitution semble nécessaire, puisque les topogrammates sont les chefs de service des comogrammates dans les toparchies et qu'ils sont directement interessés dans cette affaire.*" Ego hoc supplementum falsum esse puto. Fraudator enim Petearchebis *τοπογραμματεύς* erat; quare qui litteras scripsit non alios *τοπογραμματέας* adire posse videtur, sed magistratus *κωμῶν*, quae sunt illius *τόπου* in quo peculatus factus est. Ad quos solos fraudes *τοπογραμματέως* iis praepositi pertinent, nihil ad *τοπογραμματέας* aliorum *τόπων*. Accedit quod magistratus omnes, quos scriptor adit, *κώμης* magistratus sunt *(οἱ παρὰ Μητροδώρου τοῦ οἰκονόμου* res oeconomi gerunt in *κώμαις)*. Conicio igitur in lacuna excidisse verba *καὶ τοῖς κωμάρχαις*. *Κωμάρχης* enim III ante C. saeculo magnas partes agebat in *κώμῃ* administranda; cf. *P. P.* II, 42 (a) et caput sequens.

Ergo *κωμογραμματέα* etiam III ante C. saeculo tributa quaedam administravisse satis apparuit [1]. Fortasse sui iuris non erat sed auxilio tantum erat comarchae, quem capite sequenti videbimus et *κώμης* agros III ante C. saeculo administravisse et *γεωργῶν* tributa exegisse. Sed fontibus deficientibus singula cognoscere non possumus.

2. *De κωμογραμματέως muneribus in regis monopoliis sustentandis* [2].

Etiam alio modo *κωμογραμματεύς* regis rebus consulit, partes quasdam agens in negotiis ad eius monopolia pertinentibus.

Constat regem aliquot mercium et artificiorum monopolium sibi vindicavisse, inter quae nominentur fructus quos fodinae proferunt, veluti sal, aes, gemmae; merces quae importari solebant, veluti myrrha, condimenta. Sed primum locum obtinebat monopolium olei, cuius et in Aegypto [3] et in ceteris Orientis regionibus usus est frequentissimus. Magnus autem legum et constitutionum numerus regis iura tuebantur [4].

Ius mercium quarum rex monopolium habebat vendendarum ab eo conductoribus locabatur, qui pretio constituto institoribus eas venderent. Dioecetae erat regis iura sustentare; quem illam

---

1) Cf. *Pap. Hibeh* I, 103; 104; ubi *κωμογραμματεύς* haec vectigalia accepisse dicitur: *φυλακιτικὸν, ἰατρικὸν, τριηράρχημα, διάχωμα, ἵππων.*

Ex quibus quae sint *φυλακιτικόν* et *ἰατρικόν* perspicuum est (cf. Wilcken, *G. O.* p. 402 et 375); qualia autem fuerint *τριηράρχημα, διάχωμα, ἵππων* non constat. Cf. praeterea *Pap. Hibeh* I, 67 et 68.

2) De monopoliis agunt:

Editores *Pap. Tebt.* in annot. ad I, 5, 170.

Maspero, *Les Finances* p. 60–92.

Bouché-Leclercq, *Hist. d. Lag.* III p. 237–283.

3) Cf. Plin. *N. H.* 13, 6, 26, „*terrarum omnium Aegyptus accommodatissima unguentis.*

4) Leges ac constitutiones ad olei monopolium pertinentes *Rev. Papyro* nobis servatae sunt (Col. 39 sqq.).

curam oeconomis in singulis nomis constitutis delegavisse *Rev. Papyrus* demonstrat. Oeconomo iam magistratus inferiores scribaeque multi apparebant, inter quos tamen neque *βασιλικὸς γραμματεύς* neque *τοπογραμματεύς* neque *κωμογραμματεύς* commemorantur. Sed altero ante C. saeculo res aliter se habet ut *Pap. Tebt.* I, 35 docet, quae haec continet:

Ἀπολλώνιος [τ]οῖς ἐν τῆι Πολέμωνος μερίδος (l. — δι) *ἐπιστάταις καὶ τοῖς ἄλλοις τοῖς ἐπὶ χρειῶν τεταγμένοις χαίρειν. τῆς ἀναδεδομένης κατὰ κώμην ζμύρνης μηδένα πλεῖον πράσσειν τῆς μνᾶς ἀργυ(ρίου) (δραχμῶν) μ.... τὸ δ' ὑποκειμένον πρόγραμμα ἐκτεθήιτω καὶ διὰ τῆς τοῦ κωμογραμματέως γνώμης, ὃς κ[α]ὶ μεθ' ὑμῶν ὑπὸ τὴν ἐντολὴν ὑπογράφει, ἧι ὅτι ὁ παρὰ ταῦτα ποιῶν ἑ[α]υτὸν αἰτιάσεται. κτλ.;* sequitur *πρόγραμμα* quod v. 7 commemoratur.

Mandatum igitur missum est *ἐπιστάταις* singulorum vicorum ceterisque magistratibus quibus res ad myrrhae monopolium pertinentes curae sunt. Mandati vero propositio imprimis spectat ad *κωμογραμματέα*, qui etiam *προγράμματι* subscribere debet. Unde fortasse colligere possis hunc quoque curavisse, ne regis iura hac in re violarentur.

Alia testimonia desunt, sed nescio an huic coniecturae faveat quod in vico Cerceosiride olei monopolii conductor, suspicatus in quandam domum oleum clam importatum esse, rei detegendae causa praeter epistatam testem adhibet aliquem missum ab *ἀρχιφυλακίτῃ*, sed hunc eam tantum ob causam quod *κωμογραμματεύς* non adfuerat [1]).

Idem conductor *κωμογραμματέα* libello adit, petens ut ille rem ad iudices, *οἷς καθήκει*, deferat [2]).

Fortasse aliae papyri repertae hanc rem nova luce illustrabunt [3]).

---

1) *Pap. Tebt.* I, 38, 16 sqq.

2) *Pap. Tebt.* I, 38 et 39.

De re cf. infra caput de *κωμογραμματέως* muneribus ad disciplinam publicam pertinentibus.

3) Ceterum operae pretium est conferre *Pap. Lille* I, I, 3, 55–60, scriptam

3. *De κωμογραμματέως in terra administranda muneribus*[1]).

a. De agrorum commentariis.

Κομογραμματεύς ut tributa illa, de quibus supra egimus, bene administret, totius *κώμης* territorii discriptionem habeat necesse est: quaenam praedia sint *βασιλικῆς γῆς*, quae *ἱερᾶς*, quae *κληρουχικῆς*; tum nomina *βασιλικῶν γεωργῶν*, templorum, *κληρούχων*, quorum quidque praedium est; deinde situs, reditus, pretium singulorum praediorum, haec omnia in tabulis relata esse oportet Omnis igitur agrorum *κώμης* cura *κωμογραμματεῖ* mandata est. Ut omnia illa quae memoravi cognoscat, *κωμογραμματεῖ* praediorum censum opus est habere.

Nemo ignorat iam Pharaonibus regnantibus praediorum censum fuisse. Narrat enim Herodotus [2]) Sesostrem regem Aegypti solum divisisse in praedia eiusdem mensurae quadrata, quorum cuique Aegyptiorum singula distribuisset, certa fructuum parte tributi loco fisco solvi iussa. *Εἰ δέ τινος*, pergit, *τοῦ κλήρου ὁ ποταμός τι παρέλοιτο, ἐλθὼν ἂν πρὸς αὐτὸν* (sc. regem) *ἐσήμαινε τὸ γεγενημένον. ὁ δὲ ἔπεμπε τοὺς ἐπισκεψομένους καὶ ἀναμετρήσοντας ὅσῳ ἐλάσσων ὁ χῶρος γέγονε, ὅκως τοῦ λοιποῦ κατὰ λόγον τῆς τεταγμένης ἀποφορῆς τελέοι.*

Quod autem ex Herodoto iamdudum colligere licuit, papyris probatur, scilicet et Ptolemaeis et imperatoribus regnantibus praediorum censum in Aegypto fuisse. Vasarium in quo census tabulae conservabantur, *καταγραφή* appellatum erat[3]).

---

regnante primo Euergete, ubi *βασιλικὸς γραμματεύς* olei institoribus scribit se Heraclidem quendam misisse, qui videat ne oleum minoris veneat pretio constituto. Qui vero minoris vendet *φυλακίταις* tradendus est, qui eum Alexandriam mittant. Unde intelligitur neque epistatae neque *κωμογραμματεῖ* III saeculo idem in his rebus ius fuisse atque saeculo II.

1) De terrae generibus cf. *praefationem generalem* et libros ibi laudatos.

2) II, 109.

3) *Pap. Oxyr.* I, 100, 11: . . . *ἀπὸ τῶν ὑπαρχόντων μ[ο]ι . . . τόπων βείκους τέσσαρας, ὧν ἡ τοποθεσία καὶ τὸ κατ' ἄνεμον διὰ τῆς καταγραφῆς δεδήλωται.*

Lagidas imperio fundato soli discriptionem accuratam fecisse verisimile est; qua discriptione *καταγραφή* quae dicitur eatenus nitebatur ut quaevis mutatio possessionis, fertilitatis cet. in ea annotaretur.

Iam exposuimus consentaneum esse cuiusque *κώμης κωμογραμματέα*, ut tributa bene administraret, *καταγραφήν* habuisse. Ad quod probandum iam Wilckenius[1]) argumenta quaedam attulit ex papyris quas ipse edidit[2]): Praedia, quae sunt *βασιλικῆς γῆς*, locabuntur[3]); magistratus cui locatio mandata est, de iis sciscitatur a *τοπογραμματεῖ*; hic iam adit *κωμογραμματέα*, qui *καταγραφῇ* inspecta scribit: *Ἐπισκοποῦντες εὑρίσκομεν διὰ τῶν [φυλασσο?] μένων ἡμῖν [βι]βλίων ευ. ρ |||. ς ἀδεσπότους [καὶ ἀνα]γραφομένας εἰς τοὺς προγεγραμμένους. Δέο[ν] ἐστὶν [τιμη]θῆναι ἀξίας ∠ε'* [4]).

Praeterea Wilckenius laudat[5]) *Pap. Taur.* I, 4, 5 sqq., ubi legitur: . . . . *παρὰ δὲ τοῦ βασιλικοῦ γραμματέως γενομένης τῆς ἀναφορᾶς ἐπὶ τοὺς χρηματιστὰς ἐκ τῶν παρὰ τοῦ τοπογραμματέως καὶ κωμογραμματέως ἀνενεχθέντων περὶ τοῦ ἀναγράφεσθαι τὴν γῆν εἰς Ἕρμωνα Ἑρμίου τὸν πάππον τῆς Ἑρμίου μητρός.*

Rem iam haud incertam etiam melius cognitam habemus ex *Papyris Tebtunis*: Extat Menchis responsum ad Hori *βασιλικοῦ γραμματέως* epistolam, qua Menches iussus erat cuiusdam Heratis, qui aliqua delicta commiserat, bona perscribere et vindicare: . . . . *ἔγραψας ἡμῖν Ἡρᾶν* (l. *Ἡρᾶτι*) *Πετάλου τῶν ἐκ τῆς κώμης εὐθυνομένωι δὲ φόνωι καὶ ἄλλαις αἰτία⟨ι⟩ς παραγγεῖλαι ἀπαντᾶν ἐν ἡμέραι⟨ς⟩ τρισὶν πρὸς τὴν περὶ τούτων ἐσομένην διεξαγωγήν, μέχρι δὲ τοῦ τὸ προκείμενον ἐπὶ τέλος ἀχθῆναι ἀναγραψάμενος*

---

1) *G. O.* p. 485.

2) ***Actenstücke aus der königlichen Bank zu Theben*** I–IV.

3) Hic agi de locatione, non de venditione Wilckenius ipse agnovit. (*G. O.* p. 525 annot. III.)

4) *Actenstücke* IV, 14 = III, 19.

5) *G. O.* p. 486.

αὐτοῦ τὰ ὑπάρχοντα συντάξαι θεῖναι ἐν πίστει παραθεὶς τά τε μ[έτ]ρ[α] καὶ γειτνίας καὶ ἀξίας ἀνενεγκεῖν εὐσήμως[1]).

Κωμογραμματεύς igitur ex vasario suo colligere debet, quantum sit Heratis praedium, qui sint praedii termini, quid pretium. Respondet Menches inter alia: . . . . *ὑπάρχειν δὲ τούτωι ϛ' μέ(ρος) τοῦ ὄντος ἐν τῆι κώμηι Διοσκ[ο]ρ⟨εί⟩ου*[2]) *[ο]ὗ γείτ(ονες) νό(του) καὶ λι(βὸς) περίστασις κώμης, βορρᾶ καὶ [ἀ]πη(λιώτου) διῶρυ(ξ), ἀξίας ἐπὶ τὸ αὐτὸ χα(λκοῦ) (ταλάντου) α*[3]).

Idem Horus *βασιλικὸς γραμματεύς* sui nomi *κωμογραμματέας* iubet bonorum cuiusdam Protarchi, qui magistratu fungens res male gesserat, perscriptionem sibi mittere:

. . . . . . *[ἀναγ]ραψάμ[ε]νοι οὖν [τὰ ὑπά]ρχοντα ἐν τοῖς καθ' ὑμᾶς τό[πο]ις τῶι [Π]ρωτάρχωι πέμ[ψεθ' ἡ]μῖν*[4]).

Conferas denique has duas Menchis relationes[5]):

Παρὰ Μεγχείους κωμογραμματ[έως] Κερκεοσίρ[ε]ως. οὐθὲν ὑπάρχει περ⟨ὶ⟩ τὴν κώμην Ἀμινίᾳ καὶ Ἀσκληπιάδει καὶ Κεφάλων⟨ι⟩ τοῖς κεχειρικόσι τὴν κεχωρισμένην πρόσοδον[6]).

et

Ἔτους ε παρὰ Μεγχείους κωμογρ(αμματέως) Κερ[κεοσ]ίρ[ε]ως. τοῖς ὑπογεγραμμένοις (ἐπταρούροις) μαχίμοις[7]) . . . . *τούτοις οὖν μηθὲν [ὑπάρχειν] περὶ τὴν κώμ[ην].*

b. De annuis relationibus.

Quomodo autem *κωμογραμματεύς* praediorum censum administrare poterat? Utrum de praedii statu mutato statim certior fieri debebat an quotannis praediorum censum habebat?

---

1) *Pap. Tebt.* I, 14, 2 sqq.

2) Ex his verbis apparet Heratem unum esse ex *ἱεροῖς γεωργοῖς*.

3) *Pap. Tebt.* I, 14, 17 sqq.

4) Ibidem 27 Col. IV, 87 sq.

5) Ibid. 76.

6) De *κεχωρισμένῃ προσόδῳ* cf. *Pap. Tebt.* I, App. I p. 569 sq. et *Praef. generalem* (supra p. 13).

7) De *μαχίμοις* cf. *praef. gen.* (supra p. 14).

In papyris non desunt indicia ex quibus colligi potest praedii possessorem omnem eius status mutationem statim profiteri debuisse[1]). Quas professiones annuis censibus recognitas esse verisimile est, praesertim cum in Aegypto vectigalium causa unusquisque quotannis profiteri deberet quid possideret[2]). Utique novimus *κωμογραμματέα* quotannis tabellas composuisse in quibus de terrae statu sic referebat ut diversas relationes faceret de *βασιλικῇ γῇ* et de *γῇ ἐν ἀφέσει*, saepius etiam de *κληρουχικῇ* et de *ἱερᾷ γῇ*. Plures autem relationes in *Papyris Tebtunis* et *Papyris Flinders Petrie* nobis servantur: quarum *Pap. Tebt.* 62, 63, 65[3]), 141–147 (praeter 142) referunt de *γῇ ἐν ἀφέσει κώμης* Cerceosiridis.

Tabellae sunt quibus nomina possessorum et *ἱερᾶς* et *κληρουχικῆς γῆς* continentur, addito quantum fundi quisque colat, quae fruges colantur, quantum fundi coli non potuerit.

Pap. Tebt. 67–70[4]), 153–55, *Pap. Petrie* III, 98, 99, 101, 102 relationes continent de *βασιλικῇ γῇ*; *Pap. Tebt.* 74, 75 (inde a Col. IV) de *βασιλικῇ γῇ ἐν ὑπολόγῳ*[5]); *Pap. Petrie* III, 97 de *ἱερᾷ γῇ* sola.

Has relationes, quatenus ad II ante C. saeculum pertineant, confectas esse a *κωμογραμματεῖ* ex inscriptionibus[6]) apparet.

Capite sequenti videbimus III ante C. saeculo relationes illas a comarcha factas esse, fortasse totam terrae curam ei mandatam

---

1) Cf. *Pap. Hibeh.* I, 75; *Pap. Tebt.* I, 30, 15—20; 31, 15–21. Cf. praeterea Herodoti locum supra laudatum.

2) Lingua Germanica illae professiones appellantur „*Objektsdeklarationen*"; de his cf. Wilcken *G. O.* p. 456 sqq.

3) N. 65, cuius pars tantum typis mandata est, docet Menchem anno ante C. 112 viginti agri inculti aruris donatum esse, quo inter cleruchos receptus sit. Cf. editorum ad hanc papyrum praefationem.

4) His non addatur n. 66 ut faciunt editores in huius papyri praefatione; nam de *κωμογραμματεῖ* in ea sermo est (cf. vv. 11, 56, 58, 79) unde hunc ipsum tabellam non confecisse apparet. Conicias eam scriptam esse in *βασιλικοῦ γραμματέως* officio; cf. infra p. 36 sq.

5) De hac cf. supra p. 12.

6) *Pap. Tebt.* I, 63, 1; 67, 1; 68, 1; 69, 1; 70, 1; 74, 1; 75, 15.

fuisse: relationes igitur quae nobis servatae sunt in *Papyris Petrie* a *κωμογραμματεῖ* factae non sunt, sed a comarcha.

Sed relationibus, de quibus hucusque egimus, de agrorum situ et finibus tacentibus, alteras quotannis relationes a *κωμογραμματεῖ* fieri oportebat, quibus cuiusque praedii situs accurate describebatur. Earum nonnullae servantur in *Pap. Tebt.* I, 84–87. Inscriptio integra est: *Ἔτους . . ., παρὰ . . . κωμογραμματέως . . . εὐθυμετρία κατ' ἄνδρα κατὰ περίχωμα τοῦ ἀναγραφομένου περὶ τὴν κώμην παντὸς ἐδάφους*[1]. Praedia igitur conscripta sunt *κατὰ περίχωμα* i. e. secundum aggeres et fossas, quibus nemo ignorat totam Aegyptum esse divisam. Indicatur de quoque praedio sitne *βασιλική* an *ἱερά* an *κληρουχικὴ γῆ;* cetera vel exponuntur vel praetereuntur, ut *κωμογραμματεῖ* videtur: sic relationes Arsinoes[2] alteriusque vici[3] uberiores sunt quam Cerceosiridis vici[4]. *Εὐθυμετρίαι* appellantur; quas etiam a *κωμογραμματεῖ* confectas esse apparet ex inscriptione *Pap. Tebt.* I, 84[5] et *βασιλικοῦ γραμματέως* officio eas tradi solere Menchis epistola, ad Herodem fratrem data, demonstrat, in qua ita scribit:

γείνωσκε Ἀμμώνιον τὸν [. . .] παρ' ἡμῶν ὢν (l. *ὄντα*) *ἐν τοῖς Ἀμενέως [τοῦ βα(σιλικοῦ)] γρ(αμματέως) γεγραφὼς* (l. —*φότα*) *ἡμῖν περὶ τοῦ συνέχεσθαι [Ἀρω]τεῖον τὸν τοῦ Πετεαρφρείους [ὑπὸ το]ῦ βα(σιλικοῦ) γρ(αμματέως) χάριν τῆς εὐθυμετρίας τῆς κώμης κτλ.*[6].

Quibus expositis iam quaerendum est cuinam omnes illae relationes de terrae statu redituque traditae sint. Et quamquam omnes quas habemus inscriptione carent, qua certo sciri id possit, tamen dubitari nequit quin *βασιλικῷ γραμματεῖ* inscriptae fuerint: ille

1) *Pap. Tebt.* I, 84.
2) Ibid. 86.
3) Ibid. 87.
4) Ibid. 84 et 85.
5) Supra iam adlata.
6) *Pap. Tebt.* I, 12, 2 sqq.

enim vice strategi est, cui omnium nomi agrorum cura mandata est [1]).

Quod praeterea aliunde confirmatur: Inter relationes, in *Papyris Tebtunis* servatas, tres sunt, quibus omnia, quae annuis relationibus continentur, una composita sunt, multis singulis additis [2]). Appellantur *ἀπολογισμοὶ τοῦ ἐδάφους*. Omnium autem cum inscriptio perierit, editores hos quoque *ἀπολογισμούς* a *κωμογραμματεῖ* componi solere opinati sunt [3]); me iudice, iniuria; passim enim *ἀπολογισμῶν* scriptor de *κωμογραμματεῖ* agit 3ª persona utens [4]).

Praeterea idem scriptor inter multa alia scribit haec:

.... *διὰ τῶν με[ταδεδο]μένων πρὸς τὴν πραγματε[ί]αν τοῦ ἀπ[ολογισμοῦ] τοῦ ἐδάφους βυβλίων προσηγγέλθαι καταμεμετρῆσθαί τισιν [τῶν π]ρ[οσλ]ηφθέντων εἰς τὴν κατοικίαν ἀπὸ σπορίμου κα[ὶ τῆς] [ἄ]λλ[ης τῆς] μὴ καθηκούσης* [5]). Dicit in *βυβλίοις*, quae *μεταδίδονται πρὸς τὴν πραγματείαν τοῦ ἀπολογισμοῦ τοῦ ἐδάφους*, conscriptum esse cleruchis quibusdam pro agris incultis praedia *σπόριμα* similiaque data esse. Illa autem *βυβλία*, quibus haec atque talia continentur, a *κωμογραμματεῖ* confici solere iam vidimus; ergo *ἀπολογισμῶν*, in quibus librorum a *κωμογραμματεῖ* communicatorum mentio fit *κωμογραμματεύς* ipse scriptor esse non potest.

---

1) Cf. e. g. *Pap. Tebt.* I, 61*b*, 35 sq.: *ἐὰν μὴ ἐπιτελῶνται οἱ γ[ε]ωργοὶ τὰ ἐκφόρια μεταμισθωθή[τ]ωι δι' Εὐβίου τοῦ ἐπιμελητοῦ καὶ τοῦ βασιλικοῦ γραμματέως;*

ibidem 40 sqq.: *αἰτεῖν ἤδη τὸν βασιλικὸν γραμματέα τὸ κατὰ κώμην καὶ τὸ κατ' ἄνδρα τῶν μεμισθω[μ]ένων ταύτην καὶ ἐπὶ τίσι καὶ τ[ίν]ες οἱ μισθώσαντες κτλ.*

2) *Pap. Tebt.* I, 61; 64; 72.

3) Ibidem *App.* I p. 538/9.

4) Cf. *Pap. Tebt.* I, 61*b*, 10 sqq., *τῆς ἐσπαρμένης* (sc. *γῆς*) .... *ἣν γράφει ὁ κωμογρ(αμματεὺς) κατεργα[σθῆναι ἀπὸ τοῦ ὑπολόγου ἐν τῶι] μθ (ἔτει), ὑπὲρ ὧν ἀπολογ[ίζετα]ι [ὁ κ]ωμογρ(αμματεύς) κτλ.*; cf. praeterea 61*b*, 113, 195, 261, 291; 72, 112, 460, 467.

5) *Pap. Tept.* I, 61*b*, 215 sqq. = 72, 141 sqq.

Quae cum ita sint, hos *ἀπολογισμούς* in *βασιλικοῦ γραμματέως* officio confectos esse necesse est; nam de *τοπογραμματεῖ*, qui intercessor tantum est inter *βασιλικὸν γραμματέα* et *κωμογραμματέα* [1], cogitari nequit. Ad hos *ἀπολογισμούς* componendos *βασιλικῷ γραμματεῖ* praesto non erant nisi *κωμογραμματέως* relationes; ita magnae *ἀπολογισμῶν* partes verbotenus fere consentiunt cum his relationibus [2].

Ἀπολογισμούς in *βασιλικοῦ γραμματέως* officio conservatos fuisse inde apparet, quod eius scribae, cum quid de Cerceosiridis territorio cognoscere cupiant, *ἀπολογισμὸν τοῦ ἐδάφους τοῦ νδ ἔτους τῆς Κερκεοσίρεως* [3] inspiciunt.

Quibus perpensis iam constare mihi videtur annuas *κωμογραμματέως* de *κώμης* agris relationes *βασιλικῷ γραμματεῖ* tradi solere.

c. De relationum recognitione.

Relationes, a *βασιλικῷ γραμματεῖ* comprobatae, ad dioecetam missae ab ipso eiusque scribis inspiciebantur, notis, si opus erat, adscriptis; *παρεπιγραφαί* illae notae appellabantur [4].

Interdum autem accidit ut *βασιλικὸς γραμματεύς* aut *τοπογραμματεύς* a dioeceta iuberentur relationes per *ἐπίσκεψιν* anquirere [5]. Ut consentaneum est, talis *ἐπίσκεψις* modo *κωμογραμματέως* relationes affirmabat [6], modo corrigebat [6]. Quin etiam nonnum-

---

1) Cf. inprimis *Actenstücke* I.

2) Cf. 64*a*, 8 sqq. cum 63, 27 sqq.; 61*a*, 182–221 cum 67, 9–61. De parvis differentiis cf. *App.* I p. 565.

3) *Pap. Tebt.* I, 30, 22–28.

4) Cf. *Pap. Tebt.* I, 61*b*, 4 sq., 24, 225; 72, 194 sq.

5) Cf. *Pap. Tebt.* I, 149, ubi *τοπογραμματεὺς ἐπισκέπτεται.* N. 78 inscriptio est: *κ]ατ᾽ ἄνδρα τῆς γεγενημένης [ὑ]πὸ Ὥρο[υ τοῦ β]ασιλικοῦ γραμ⟨μ⟩ατέως ἐπισκέψεως [μ]ετὰ τὴ[ν κατὰ] φύλλον τοῦ αὐτοῦ (ἔτους) τῆς ἐσπαρμένης* (sc. *γῆς*) *κτλ.*

6) Cf. e. g. *Pap. Tebt.* I, 81, 1, 2, 11.

7) Ibid. 81, 21 sq.

quam *κωμογραμματεύς* Alexandriam ire iubebatur ut de diversis rebus ad vici agros pertinentibus ad dioecetam referret:

παρὰ Μεγχείους κωμογρ(αμματέως) Κερκεοσί(ρεως). ἔστιν τὰ δ[. . .] γενέσθαι μετὰ τὴν κατ[ὰ] φύλλ[ον] γεω(μετρίαν) τοῦ αὐτοῦ α (ἔτους) καθ' ἣν πεποίημεθα ἐν Ἀλεξανδρείᾳ ἐπὶ τοῦ διοικη(τοῦ) ἀνα[φορά]ν [1]).

d. De *προσαγγέλμασιν.*

Praeterea *κωμογραμματέως* est statim de omnibus referre, quibus terrae status mutatur. Sic Menches de terra refert, quae inundata erat [2]), nuntiatque Petesuchos, Menchis successor, praedium, quod undecim ante annis fertile effectum erat, ab anno vertente *ἐν τῇ κεχωρισμένῃ προσόδῳ* [3]) relatum iri:

Ἔτους ζ, παρὰ Πετεσούχου κωμογραμματέως Κερκεοσίρεως. ἀναφέρονται περὶ τὴν κώμην ἐν τῆι κεχωρισμένηι προσόδου (l. *-δωι*) *τὴν (πρότερον) Πτολεμαίου τοῦ Φιλίνου ἣν κατεργασθῆναι ἀπὸ ὑπολόγου ἐν τῶι μθ (ἔτει) ὑπὸ Διονυσίου τοῦ προστάντος, ἣν εἰς τὸ ζ (ἔτος) γεωργεῖσθαι ὑπὸ Πετεσκόντιος καὶ τῶν με(τόχων), (ἀρούρας) ιϛ∟ (ἀρτάβας) κ.* [4]).

e. De terrae distributione et locatione.

Supra vidimus *κωμογραμματέα* praediorum censum habuisse; quare illum cum in *κληρουχικῇ* et *ἱερᾷ γῇ* distribuenda tum in *βασιλικῇ γῇ* locanda maximas partes egisse, nil est quod miremur. Utriusque rei papyri nobis exempla dederunt: Epidorus enim

---

1) Ibid. 167 (p. 182 ima);

cf. 26 Col. I, ubi res singularis agi videtur: *βασιλικός* enim *γραμματεύς* et *τοπογραμματέας* et *κωμογραμματέας* iubet *συμμείσγειν τεταγμένοις πρὸς τὸν κατάπλουν*, quae verba significare videntur: „se coniungere cum iis qui Alexandriam ire iussi sunt".

2) *Pap. Tebt.* I, 71.

3) De hoc terrae genere cf. supra p. 13.

4) *Pap. Tebt.* I, 77.

quidam in epistola ad dei Socnopaei sacerdotes data narrat in terris distribuendis virum, cui hoc munus mandatum esset, agri partem pessimam templo dare voluisse, sed distributionem iam factam irritam se fecisse, pecunia data τοπογραμματεῖ et κωμογραμματεῖ aliisque [1]). Apparet largitiones his in rebus a magistratibus alienas non fuisse; id quod aliunde quoque confirmatur: neque enim verisimile est Menchis decessores gratis cleruchis, quibus terra inculta designanda erat, terram fertilem dedisse [2]).

Bene haec res *Papyro Tebt.* I, 28 illustratur: Alexandria duo viri missi sunt, qui res in quodam nomo inspiciant: προαιρούμενοι ἐπισκέψασθαι τ[ὰ ἐ]κ [τ]οῦ νομοῦ ἀ[να]φερόμενα, τὸ ὑπόλογον καὶ τἆλ⟨λ⟩α [3]), i. e. electi ut quae e nomo relata sunt inspiciant, praecipue an agri, qui a κωμογραμματεῦσι tamquam rudes referantur, re vera rudes sint. Quos cum κωμογραμματεῖς culpae sibi conscii morentur, illi ut nonnulli eorum comprehendantur rogant, qui exemplo sint aliis.

Fortasse et *Pap. Grenfell* I, 13 huc pertinet.

Item in βασιλικῇ γῇ locanda κωμογραμματέα quasdam partes agere vidimus neque tamen de singulis constat. In „*Actenstücke*" III et IV κωμογραμματεύς fundum locandum 5000 drachmis aestimat, postquam conductor ipse 4000 drachmas daturum se esse pollicitus est; sed cum τοπογραμματεύς fundum uno talento aestimasset conductori a magistratu, cui locatio mandata est, addicitur uno talento 2000 drachmis [4]) Ex hoc uno exemplo num colligi possit, locandae βασιλικῆς γῆς aestimationem et κωμογραμματεῖ et τοπογραμματεῖ mandatam fuisse, vix est quod diiudicem. Nempe in „*Actenstücke*" I et II, quae et ipsae de fundi locatione

---

1) *Pap. Amherst* II, 40.

2) *Pap. Tebt.* I, 73; 79, 13–16: (Thotortaeus κωμογραμματεύς indicavit) [καταμεμετρῆ]σθαι ὑπὸ Ὥρου τοῦ γενομένου κωμογρ(αμματέως) τῆς [αὐτῆς ἀπὸ σπορί]μου ἀντὶ τῆς ἐπισταλείσης χέρσου. cf. ibidem 46–59.

3) V. 6 sq.

4) Cf. Wilckenii annotationem ad *Actenst.* III, I, 6 (p. 46).

agunt, neque *κωμογραμματέως* neque aliorum magistratuum aestimationes commemorantur.

Inter magistratus, qui locationi adsunt, *κωμογραμματεύς* saepe invenitur [1]).

Quaecunque de cura agrorum exposuimus, ad II ante C. saeculum tantum pertinent, cum fontibus deficientibus de III ante C. saeculo parum constet. Tunc quidem cura terrae comarchae imposita erat sed eam non prorsus alienam fuisse a *κωμογραμματεῖ*, ex epistola magistratus cuiusdam Theodori elucet, ad *κώμης* Talis phylacitas data, qui praedium quoddam adiuvante *κωμογραμματεῖ* metiri iubentur: *παραλαβόντες οὖν τὸν κωμογρ(αμματέα) περιμετρήσατε αὐτῶι* [2]).

f. Appendix, agens de quaestione an etiam *τοπογραμματεύς* et *βασιλικὸς γραμματεύς* *καταγραφήν* habuerint.

Hoc loco non alienum videtur agere de hac quaestione an etiam *τοπογραμματεύς* et *βασιλικὸς γραμματεύς* praediorum censum habuerint.|

α. De *τοπογραμματεῖ.*

Negat Wilckenius *τοπογραμματέα* habuisse *καταγραφήν*, propterea quod in papyris, quas ipse „*Actenstücke*" appellat, *τοπογραμματεύς*, qui iubetur referre de praedio quodam locando adit *κωμογραμματέα* [3]).

---

1) Cf. *Actenstücke* I, 11 sqq.; II, 14 sqq.; *B. G. U.* 992.

2) *Pap. Hibeh* 75, scripta anno ante C. 232/1.

3) *G. O.* p. 486 annot. 1:

„*Wenn einige Tage darauf der Bezirksschreiber [i. e. τοπογραμματεύς] nochmals aufgefordert wird, die Richtigkeit der Angaben zu bestätigen und Masse und Nachbarn der Grundstücke beizufügen, so möchte ich daraus nicht folgern, dass der Bezirksschreiber noch wieder ein besonderes Kataster geführt habe, denn dann hätte er die erstere Auskunft nicht an den Dorfschreiber abgeschoben.*"

Wilckenio adversatur Naberus[1]), quia in iisdem papyris *τοπογραμματέα* relationi *κωμογραμματέως* subscribere oporteat: *Ἐὰν ὁ το[πογρ]αμματεὺς ὑπογράψηι ταῦθ' οὕτως ἔχειν καὶ μηθὲν ἠγνοῆσθαι [τά τ]ε μέτρα καὶ τὰς γειτνίας ἐντάξῃ* (l. *ἐντάξηι*), *δέξαι κτλ.;*[2]) „quod vix procedere videatur in propria vasaria non habente" [3]).

Sed papyrorum numero tantopere aucto ut res diiudicari possit, Wilckenium sequendum esse arbitror. Ad quod demonstrandum breviter quae papyri nos docuerunt complectar:

1. *Pap. Amherst* II, 31. Apocha est regiae mensae Hermonthidis, cui duae *διαγραφαί*[4]) additae sunt, altera *τοῦ ἐπὶ τῶν προσόδων*, altera *τοῦ βασιλικοῦ γραμματέως*. Illa mulierem quandam, quae iniuria *βασιλικῆς γῆς* duas ulnas praedio suo addidisset, drachmis 1200 condemnatam eamque poenam regiae mensae Hermonthide solutam esse refert. Altera *διαγραφή* ea tantum condicione trapezitae tradita est a *βασιλικῷ γραμματεῖ*, ut *τοπογραμματεὺς ὑπογράφῃ ταῦθ' οὕτως ἔχειν καὶ μηθὲν ἠγνοῆσθαι καὶ ἐντάξει τά τε μέτρα καὶ τὰς γειτνίας*, id quod *τοπογραμματεύς* a *κωμογραμματεῖ* certior factus confirmat.

2. *Pap. Amherst* II, 32. Magistratus quidam refert *τοπογραμματέας* renuntiavisse *στρατευομένοις* quibusdam non maiora praedia esse quam iis competerent.

---

1) *Archiv* I p. 322.

2) *Actenstücke* IV, 2, 19 sqq.

3) *Archiv* l. l.

4) De huius verbi significatione cf. Wilcken, *Actenstücke* p. 30, ubi legitur: „*Wir lernen hieraus, dass ähnlich wie der Trapezit eine Zahlung nur entgegennahm, wenn ihm eine διαγραφή darüber von den Verwaltungsbeamten zuge gangen war, so andererseits der Zahlungspflichtige auch erst dann die Zahlung an die königliche Bank leistete, wenn ihm von dieser eine solche zugestellt war.*"

Cf. Mitteis, *Trapezitika* p. 20 sqq. (*Sonderabdruck aus der Zeitschrift der Savignystiftung* 19); Gradenwitz, *Einführung in die Papyruskunde* I, p. 139 sqq.; eiusdem *Zwei Bankanweisungen aus den Berliner Papyri* (*Archiv* II p. 96 sqq.).

3. *Pap. Amherst* II, 40. *Τοπογραμματεύς* partes quasdam agit in fundo templis nonnullis adsignando.

4. *Actenstücke* I. *Τοπογραμματεύς* refert de fundo quodam, a *κωμογραμματεῖ* de hac re edoctus.

5. *Actenstücke* II. Ipse *τοπογραμματεύς* de praedio quodam refert.

6. *Actenstücke* III et IV. Eadem res agitur atque in I, sed in IV additur *τοπογραμματέα κωμογραμματέως* professiones confirmare debere.

7. *Pap. Taur.* I, 4, 5. *Βασιλικὸς γραμματεύς* de praedio quodam refert *ἐκ τῶν παρὰ τοῦ τοπογραμματέως καὶ κωμογραμματέως ἀνενεχθέντων.*

8. *Pap. Tebt.* I, 72. *Τοπογραμματεῖς* et *κωμογραμματεῖς* terram aliquam *ἐν ὑπολόγῳ* relatam esse referunt.

9. *Pap. Tebt.* I, 149. *Τοπογραμματεύς* agri cuiusdam *ἐπίσκεψιν* habet.

Ex n. 2, 5, 6 quamquam colligi potest *τοπογραμματέα* quoque vasarium habuisse, tamen cum n. 1 et 4 huic opinioni aperte repugnent, eam abiciamus necesse est. At *τοπογραμματεῖ*, cui cura omnium agrorum in *τόπῳ* suo sitorum mandata est, vasariorum omnium quibus praeest *κωμαγραμματέων* adeundorum copiam fuisse, consentaneum videtur.

Itaque superiorum magistratuum quaestionibus *τοπογραμματεύς* aut ipse respondebat (ut in *Actenstücke* II) aut per *κωμογραμματέα* (ut in *Pap. Amherst.* II, 31; *Pap. Taur.* I, 4, 5; *Actenstücke* I, III, IV). Magistratus superiores propterea saepe non *κωμογραμματέα* ipsum sed *τοπογραμματέα* adiisse mihi videntur aut ut ab hoc, magistratu *κωμογραμματείας* superiore fungente, rationem reposcere possent, aut quod *κωμογραμματεύς* interdum Graecae linguae imperitus erat; hoc si est, *τοπογραμματεύς κωμογραμματέως* relationes ex sermone Aegyptio in Graecum vertere debebat[1]).

---

[1]) Cf. *Actenstücke* I, Col. 2, 10 sqq.:

..... *[ὁ κωμογραμ]ματεὺς πεπόηται .... τοῖς ἐγχωρίοις γρά[μμασιν ....*

β. De βασιλικῷ γραμματεῖ.

Neque *βασιλικὸν γραμματέα* vasarium habuisse ex papyris n. 1 et 7, pp. 41 et 42 allatis, aliisque [1]), quarum iam supra mentionem feci, apparere mihi videtur [2]). Conficitur quidem quotannis in officio eius *ἀπολογισμὸς τοῦ ἐδάφους*, qui tamen relatio tantum erat de agrorum nomi statu, situ vero finibusque non indicatis. Praeterea cum in eo status mutationes, quae anno vertente fiebant, non annotarentur, *καταγραφῆς* loco ille *ἀπολογισμός* esse non poterat. Duo autem papyri, *Pap. Tebt.* I, 30 et 31, quae hanc meam opinionem evertere videntur, re melius perspecta eam potius confirmant. Quid est rei? *Papyro Tebt.* I, 30 teste Petro catoecus quidam praedium suum *κατοικικόν* alii catoeco Didymarcho transtulit. Cuius rei cum ratio non sit habita Didymarchus *τοὺς πρὸς τῇ συντάξει τῶν κατοίκων ἱππέων* [3]) adit sic scribens (v. 15 sqq.):

παρακεχωρημένου μοῦ ὑπὸ Πέτ[ρ]ωνος τοῦ Θέωνος Πέρσου τῆς αὐτῆς ἱππαρχίας τὸν ὑπάρχοντ' αὐτῶι κλῆρον περὶ Κερκεοσῖριν . . . . (ἀρουρῶν) κδ, τῶν δὲ πρὸς ταῖς γραμματείαις ἀγνοούντων τὴν γεγονυῖαν περὶ ἐ[μο]ῦ οἰκονομίαν καὶ ἔτι ἀναγράφουσι (l. — *ἀναγραφόντων*) *τὸν κλῆρον εἰς τὸν Πέτρωνα, ἀξιῶ συντάξαι γράψαι Ἀπολλ[ω]νίωι τῶι βασιλικῶι γραμματεῖ ἵν' εἰδὼς ἀναγράφηι εἴς με τὰς σημαινομένας (ἀρούρας) κδ κτέ.*

Petit igitur ut de praedii possessione ad se translata ad *βασιλικὸν γραμματέα* referatur, *ἵν' ἀναγράφῃ* (sc. *βασιλικὸς γραμματεύς*) *εἰς αὐτὸν τὰς ἀρούρας.*

διερμηνεύ]σαντες ἑλληνιστὶ . . . . ἀναφέρομ[εν. Supplementa satis certa mihi videntur.

Animum praeterea adtendas ad stilum pessimum, quo utitur Menches in epistolis *Pap. Tebt.* servatis.

1) *Pap. Tebt.* I, 14 et 27 IV, cf. p. 32 sq.

2) Autumat quidem Bouché-Leclercq (*Hist. d. Lag.* III p. 390) *βασιλικὸν γραμματέα* vasarium habuisse, sed argumentis usus parum idoneis.

3) Sunt *τοῖς κατοίκοις* praepositi.

Cui libello *οἱ πρὸς τῇ συντάξει* obsecuti *βασιλικῷ γραμματεῖ* post alia sic scribunt: . . . *καλῶς ποιήσεις συντάξας καὶ παρὰ σοὶ* (sc. *βασιλικῷ γραμματεῖ*) *ἀναγράφειν εἰς αὐτὸν* (sc. Didymarchum) *ἀκολο[ύθω]ς* (v. 12 sq.).

Expectes *βασιλικὸν γραμματέα* nunc scribas suos iussisse novi possessoris nomen in praediorum tabulas ferre, sed ex scribarum responso (vv. 22 – 29) apparet hoc solum eum ex iis quaesivisse praediumne de quo agatur Petronis fuerit. Quod ut cognoscant scribae *ἀπολογισμὸν τοῦ ἐδάφους* inspiciunt. Rem confirmant: *ἐπισκοποῦντες διὰ τοῦ ἀπολογισμοῦ τοῦ ἐδάφους τοῦ νδ (ἔτους) τῆς Κερκεοσίρεως εὑρίσκομεν ἀναγραφόμενον* (sc. *Πέτρωνα*) *ἐν κληρουχίαι . . . . . (ἀρουρῶν) κδ.*

Tum demum *βασιλικὸς γραμματεύς* et Didymarchi et *τῶν πρὸς τῇ συντάξει* libellos, neque minus scribarum responsum per toparcham (?) [1]) et *τοπογραμματέα* ad *κωμογραμματέα* mittit, qui in suo vasario novi possessoris nomen adnotet.

Οἱ πρὸς τῇ συντάξει propterea libellum *βασιλικῷ γραμματεῖ*, non *κωμογραμματεῖ*, dedisse mihi videntur, quod ille, vice strategi totius nomi agros administrans, de ea re dioecetae rationem reddere debet.

Res similis agitur in *Pap. Tebt.* 31, quam hic persequi longum est.

4. *De cura aggerum et fossarum.*

Constat Aegypti fertilitatem donum esse Nili, qui quotannis terram inundet. Sed inundationes iam Pharaonibus regnantibus

---

1) Edd. dubitantes Polemonem toparcham fuisse aiunt (praef. ad 30 p. 119); mihi persuasum est eum hoc munere functum non esse. Nam si fuisset, ordo magistratuum, ad quos libelli missi sunt, inusitatus esset (cf. *Pap. Tebt.* I, 31); praeterea res, de qua agitur, II ante C. saeculo tam aliena est a toparcha ut potius Polemonem Graecum nomen fuisse crediderim eius, qui Aegyptio nomine audiat Onnophris. Quamquam similia exempla mihi desunt quibus idem vir in eadem papyro duobus nominibus appellatur.

magno aggerum et fossarum numero temperabantur [1]). Ad quae tuenda indigenae plerique [2]) adiuvare debebant sive tributum quoddam solvendo (in papyris testisque mentio fit vectigalium *ὑπὲρ διώρυγος* [3]) et *ὑπὲρ χωμάτων* sive *χωματικόν* [4])), sive laborando per quinos quotannis dies *(λειτουργίαι)*, sive fortasse utroque modo [5]).

Χωμάτων et *διωρύγων* cura stratego delata singulorum vicorum, qui cuique aggeri fossaeque vicini erant, *κωμογραμματεῦσι* delegari ab eo solebat. Sic Menches cum stratego nomi Arsinoitae communicat una cum comarcha et *πρεσβυτέροις* opera se inspicientem nonnullos colonos invenisse, qui humum ex aggere quodam effossum in patroni praedium inicerent:

. . . . *ἐφοδεύοντός μου σὺν Ὥρωι κω(μάρχηι) καὶ Πατάνι καὶ ἄλλοις πρεσ(βυτέροις) τῶν γεω(ργῶν) περὶ τὴν κώμην χωματικὰ ἔργα . . . . εὕρομέν τινας . . . . ὑπωρυχότας . . . . [τ]ῶν χω(μάτων) . . . . εἰ[ς] σχοινία ὀκτὼ καὶ τὸν ἀπ' αὐτοῦ χοῦν ἀναβεβληκότας εἰς τὰ τοῦ σημαινο(μένου) Φιλοναύ(του) κλή(ρου) χώματα* [6]).

Et verbum *ἐφοδεύειν* et viri, quibuscum iter facit Menches, satis demonstrant eum aggeres ut magistratum inspexisse, non fortuito ambulantem delinquentes deprehendisse.

Verum III ante C. saeculo cum cura agrorum tum aggerum et fossarum custodia comarchae iniuncta erat. (De hac re vide caput III.)

---

1) Cf. Strabonem 17 p. 788.
2) De iis, qui his muneribus exempti erant, cf. infra p. 46.
3) Cf. Wilcken, *G. O.* p. 180 sq.
4) Ibid. p. 333 sqq.; *Pap. Hibeh* annot. 112, 13.
5) *G. O.* p. 342; Meyer, *Heerwesen*, p. 141; Bouché-Leclercq, *Hist. d. Lag.* III p. 311 sqq.
6) *Pap. Tebt.* I, 13.

5. *Quibus muneribus κωμογραμματεύς functus sit in liturgiis distribuendis.*

Indigenae omnes quotannis regi gratuita quaedam munera praestare debebant, quorum duo genera distinguantur:

a. munera sordida [1];

b. munera honoribus cohaerentia [1].

De utroque genere paucis agemus videbimusque quas partes *κωμογραμματεύς* in iis egerit.

a. Iam paragrapho praecedente vidimus incolarum magnae parti impositum fuisse ut quotannis per quinos dies ad aggeres fossasque reficiendas laborarent. Praeterea incolae interdum, regis reditibus deficientibus, ad *γεωργίαν βασιλικῆς γῆς* adhibiti esse videntur [2].

Quibus muneribus magnus incolarum numerus exemptus erat [3]; inter quos primum locum obtinent *πρεσβύτεροι καὶ ἀδύνατοι καὶ νεώτεροι*.

Teste *Pap. Paris.* n. 63 quibusdam magistratibus impositum erat ut opera inter incolas distribuerent. Qui magistratus iidem esse videntur atque ei quibus aetate Romana nomen *ἐπιτηρηταί* erat, de quibus Wilckenius haec dicit: *„Diese Saatinspectoren hatten also die Aufgabe, für die rechtzeitige Herstellung resp. Instandhaltung der die Nilüberschwemmung regulierenden und daher die Saat beschützenden Dämme und Kanäle zu sorgen. Sie sind es*

---

1) Cod. Theod. 11, 24, 6.

2) Cf. *Pap. Paris.* 63 (denuo edita a Mahaffyo in *P. P.* III, Praef. p. 19 sqq.), in qua agitur de *προστάγματι*, quo omnibus incolis, ad munera praestanda idoneis, iniunctum erat ut *βασιλικὴν γῆν* colerent.

De hac papyro cf. Lumbroso, *Recherches* p. 89; Wilcken, *G. O.* p. 702.

3) Enumerantur in *Pap. Paris.* 66, 10—38, quae agit de *χωματικοῖς ἔργοις*. Item multos operis rusticis solutos fuisse apparet ex *Pap. Paris* 63, in qua Herodes dioeceta magistratus, quibus munera distribuenda mandata erant, *ἀδυνάτοις* ea imponere vetat.

auch, die die Bevölkerung zu dieser Liturgie der πενθημερία heranziehen und die nötigen Listen aufstellen" [1]).

Quibus tabellis conficiendis aetate Romana etiam κωμογραμματεύς operam dedit [2]). Quocum congruit quod Herodes ille dioeceta, cum ἐπιτηρητάς curare iubet ὅπως μήτε τῶν ἀδυν[ατού]ντων γεωργεῖν περισπᾶται μηθεὶς μήτε [τῶν δ]υναμένω[ν] σκεπάζηται κατὰ μηδεμίαν παρεύρεσιν [3]), cum alios magistratus tum κωμογραμματέας nominat, quibuscum illi de hac re consulere debent.

b. Magistratuum Aegyptiorum sunt duo genera:

α. magistratus regii, qui pro muneribus regi praebitis salarium accipiunt, veluti κωμογραμματεύς.

β. λειτουργοῦντες [4]), veluti comarcha.

Magistratus autem, quibus salarium datur, nomine regis a dioeceta nominantur [5]). Quod attinet ad λειτουργοῦντας, nonnullae papyri, aetate Romana scriptae, usque ad saeculum p. C. III [6]) κωμογραμματέως fuisse docent, nomina virorum, qui idonei essent ad munera vacantia gerenda, stratego offerre, qui ea mittere solebat ad epistrategum ut sortitionem faceret [7]). Candidati εὔποροι sive εὐσχήμονες [8]), item ἐπιτήδειοι [9]) esse debebant, i. e. et

---

1) *G. O.* p. 341.

2) Cf. *B. G. U.* 618, scripta a κωμογραμματεῖ: κατ' ἄνδρα τῶν ὀ[φ]ιλόντων ἐργάσασθαι τὰ χωματικὰ ἔρ[γ]α τοῦ ἐνεστῶτος κβ∟; sequuntur quatuor virorum nomina.

3) *Pap. Paris.* 63, 149 sqq.

4) De his cf. Hohlwein in *Musée belge* XII (1908) p. 108/9.

5) Cf. *Pap. Tebt.* I, 9 et supra p. 18.

6) Iam memoravimus (supra p. 16) III p. C. saeculo comarcham in κωμογραμματέως locum successisse.

7) Cf. *B. G. U.* 194; 235.

8) *B. G. U.* 194, 6, 22; 235, 12. *Pap. Fior.* II, VII, 185; *Pap. Amherst* II, 139, 4.

9) *B. G. U.* 194, 22; 235, 12.

reditibus et fama et ingenio idonei. In suo tantum vico aliquis *λειτουργίαις* obligari poterat [1]).

Λειτουργιῶν instituti, quale fuerit aetate Lagidarum, fere nullam notitiam haberemus, nisi *Pap. Tebt.* I, 27 de hac re certiores nos fecisset. Quae continet haec: Irenaeus dioeceta Hermiam, *τὸν ἐπὶ τῶν προσόδων* nomi Arsinoitae, epistula missa reprehendit quod curam frugum neglexerit, ad quas custodiendas viros minime idoneos constituerit. Scribit autem cum alia tum haec:

. . . . *καὶ παρὰ τῶ[ν κωμογραμ]ματέων* [2]) *ἐπιλαβὼν τὴν γραφὴν τῶν δυναμ[έ]νων ἐπι[σ]π[ασθ]ῆναι εἰς τὰς γενηματοφυλακίας ἀπό τε τ[ῶ]ν στρατευομένων καὶ τῶν ἄλλων τῶν τόπους κατ[ο]ικούντων καὶ ἐν περιστάσει κειμένων καὶ πίστει καὶ ἀσφαλ[ε]ίαι διαφερόντων καὶ τοὺς ἐπιτηδείους καταστήσας πρὸς ταῖς κατὰ κώμην κτλ.* [3]).

Iam hic vocabula nobis occurrunt ex papyris Romanis nota: voce enim *γραφή* intelliguntur tabulae, in quibus candidatorum nomina scripta erant [4]); verba *οἱ τόπους* [5]) *κατοικοῦντες καὶ ἐν περιστάσει κειμένοι* me iudice indicant hac quoque aetate incolas sui vici tantum munera gessisse; *πίστει* autem *καὶ ἀσφαλείαι διαφέροντες* iidem sunt qui in papyris Romanis appellantur *εὔποροι* sive *εὐσχήμονες;* postremo et *ἐπιτήδειοι* commemorantur.

Huius epistolae Irenaeus exemplar mittit et ad Asclepiadem, qui eodem munere fungitur atque Hermias [6]), et ad Horum *βασιλικὸν γραμματέα* [7]). Illum iubet operam dare ut in posterum

---

1) *B. G. U.* 15.

2) Litterae quidem *[ν κωμογραμ]* suppletae sunt, sed dubitari nequit quin ita recte legatur; eligendum tantum est inter *τοπογραμ]ματέων* et *κωμογραμ]ματέων* (cf. vv. 2—9), verum cum Romana quoque aetate *γραφαί*, de quibus agitur, semper a *κωμογραμματεῖ* offerantur, non est quod dubitemus.

3) Vv. 47–52.

4) *B. G. U.* 6, 5; 194, 6.

5) *Τόπος* hic non est nomi pars sed nihil aliud intelligitur nisi „locus".

6) Vv. 17–26.

7) Vv. 10–16.

viri idonei et *οἰκονόμοι* et *ἀρχιφυλακῖται* [1]) nominentur, huic mandat: *ἐπιδοὺς οὖν [αὐτ]ῶι τὴν γραφὴν τῶν δ[υ]ναμένω[ν] ἐπισπασθῆνα[ι ε]ἰς τὰς γενηματοφυλακίας τὴν ἐπιβά[λλο]υσαν προσφέρου σπουδὴν ἵνα κτλ.* [2]), i. e. ei (sc. Asclepiadi) trade tabellas, quibus nomina virorum continentur, qui idonei sint ad fruges custodiendas, et diligentiam praesta qua opus est. Quas tabellas *βασιλικὸς γραμματεὺς τοὺς τοπογραμματέας* et *κωμογραμματέας* nomi sui conficere iubet [3]).

Igitur Lagidarum aetate rem ita comparatam fuisse colligas: *κωμογραμματεύς* tabellas, quibus idoneorum virorum nomina continentur, per *τοπογραμματέα* ad *βασιλικὸν γραμματέα* mittit; qui eas magistratui tradit, penes quem potestas est nominandi. Hic utrum suo arbitrio nominet an sorte, ut aetate Romana usque ad III saeculum fieri solet, non apparet.

6. *De κωμογραμματέως muneribus quae pertinent ad disciplinam publicam.*

Et hanc rem tractantes initium sumamus ab II ante C. saeculo, quia ex saeculo III minores numero papyri extant quam quae huic rei lucem afferant idoneam.

Publicae securitatis curam rex singulorum nomorum strategis delegabat, qui adiuvantibus *βασιλικοῖς γραμματεῦσι* hoc munere fungebantur. Quibus in *κώμαις* tres magistratus subiecti erant:

---

1) Illi enim magnas partes in vectigalibus exigendis agunt. Cf. caput IV.

2) Col. I, 12–14.

3) Ibid. 1–9.

Agricolas tantum *γενηματοφύλακας* nominari et per se patet et inde apparet quod *τοπογραμματεῖς* et *κωμογραμματεῖς* singulorum candidatorum bona profiteri debent:

. . . *παρακειμένων οὗ ἕκαστος ἔχ[ε]ι κλήρου καὶ τῶν ἄλλων τῶν ὑπαρχόντων* (vv. 7 sqq.)

Ut paene omnia *κωμογραμματέως* munera etiam hoc ex munere agrorum administrandorum natum est.

ἐπιστάτης κώμης, ἀρχιφυλακίτης, κωμογραμματεύς. De *ἐπιστάτου* et *ἀρχιφυλακίτου* muneribus postea disserendum est. Hic *κωμογραμματέως* munera, quatenus ad disciplinam publicam pertinent, exponantur; quorum tres sunt partes:

a. publicam securitatem tuetur;

b. causas iudiciarias praeparat;

c. tamquam pacis arbiter agit.

De tribus partibus singillatim agamus.

a. *Κωμογραμματεύς* eatenus tantum securitatem publicam tuetur quod ius coercitionis habet in illos, qui delictum committunt, quo res, eius curae mandatae, laeduntur.

Quod exemplis illustremus.

Vidimus *κωμογραμματεῖ* curam aggerum et fossarum delatam esse: Menches igitur una cum comarcha et *πρεσβυτέροις* nonnullos colonos deprehendens, occupatos in aggeribus effodiendis, unum ex iis captum *ἐπιστάτῃ κώμης* tradit [1]).

Κωμογραμματεῖ cura monopoliorum mandata est: quare olei monopolii conductor in vico Cerceosiride, suspicatus in quandam domum oleum clam importatum esse, ad delinquentem deprehendendum *κωμογραμματέα* adhibuisset, nisi ille aut afuisset [2]), aut recusavisset [3]).

---

1) *Pap. Tebt.* I, 13; vide supra. p. 44 sq.

2) Ibidem 38, 16 sqq.

3) Ibidem 39, 10 sqq.: *εὐθέως παραλαβὼν Τρύχαμβον τὸν παρὰ τοῦ οἰκονόμου ἀπεσταλμένον ἐπὶ τὴν διαγραφὴν* (i. e. solutionem) *δι[ὰ τὸ μ]ὴ βούλεσθαί σε* (sc. *κωμογραμματέα) καὶ τοὺς ἐπὶ πραγμάτων συνεκαλουθεῖν* (l. *συνακολουθεῖν) ἐπὶ τὴν σημαινομένην οἰκίαν κτλ.* Si edd. recte suppleverunt, hic ostenditur, quod et aliunde notum est, Ptolemaeorum magistratus nonnumquam ad arbitrium egisse.

Iure editores admonent (annot. ad 38, 16–19) III ante C. saeculo conductorem, cum locum quendam perscrutari vellet, sibi adiungere oportuisse *τὸν παρὰ τοῦ οἰκονόμου ἢ τὸν παρὰ τοῦ ἀντιγραφέως* (cf. *Rev. Pap.* Col. 55, 21 sqq.). Quod noster conductor *κωμογραμματέα* adhibere vult huius magistratus potestatem ex III saec. auctam esse demonstrat.

Κωμογραμματεῖ mandatum erat ut nonnulla tributa a colonis exigeret: quare *γεωργόν* quendam, qui constituto tempore tributa non solverat, cepit: .... *συνελθεῖν Ὥρωι Κότυι* (l. *Κότυος*) *πρὸς Ἑρμίαν τὸν κωμογρ(αμματέα) χάριν τοῦ παρ' αὐτοῦ ἀπηγμένου καὶ πρὸς Χαιρήμονα τὸν πράκτορα* [1]).

Huc quoque pertinet quod *κωμογραμματεύς* noxios in iudicium vocat. Menches enim *βασιλικῷ γραμματεῖ* scribit: *ἔγραψας ἡμῖν Ἡρᾶν* (l. *Ἡρᾶτι*) *Πετάλου τῶν ἐκ τῆς κώμης εὐθυνομένωι δὲ φόνωι καὶ ἄλλαις αἰτία⟨ι⟩ς παραγγεῖλαι ἀπαντᾶν ἐν ἡμέραι⟨ς⟩ τρισὶν πρὸς τὴν περὶ τούτων ἐσομένην διεξαγωγήν* [2]).

Menches igitur a *βασιλικῷ γραμματεῖ* iussus erat Heram quendam, unum ex *ἱεροῖς γεωργοῖς* [3]), qui caedis aliorumque delictorum accusatus erat, iudicio arcessere.

b. Ut quae fuerint *κωμογραμματεῖ* in rebus iudiciariis munera explicemus, Lagidarum iurisdictionem paucis complectamur necesse est [4]).

Et hac in re distinguendum est inter saeculum ante C. III et II. Temporibus antiquioribus qui iudices adire vellent libellos *εἰς τὸ τοῦ βασιλέως ὄνομα* aut chrematistis aut stratego dare debebant. Sed fontibus deficientibus, quae causae ad strategorum, quae ad chrematistarum iurisdictionem pertinuerint adhuc non patet.

Res ad chrematistas delatae ab iis iudicantur.

In libellorum sibi delatorum causas strategus aut ipse inquirebat,

---

1) *Pap. Tebt.* I, 34.

Πράκτορι aetate Lagidarum iniunctum erat ut pecunias residuas exigeret. Unde iam apparet illum *γεωργόν* esse *ἀπηγμένον* propter tributa non soluta.

2) *Pap. Tebt.* I, 14, 2 sqq.; cf. 12 sqq.

3) Cf. v. 17 sq. .... *ὑπάρχειν δὲ τούτωι ς' μέ(ρος) τοῦ ὄντος ἐν τῆι κώμηι Διοσκ[ο]ρ⟨εί⟩ου.*

4) Cf. Paul M. Meyer, *Zum Rechts- und Urkundenwesen im ptolemäisch-römischen Ägypten* in *Klio* VI p. 459 sqq.; VII p. 289 sqq., contra Taubenschlag, *Die ptolemaeischen Schiedsrichter und ihre Bedeutung für die Rezeption des griechischen Rechts in Aegypten.* (*Archiv* IV p. 1 sqq.).

adversariis in metropoli habitantibus, aut rem inquirendam mandabat *ἐπιστάτῃ κώμης*, in qua adversarius habitabat. Nisi, stratego aut epistata in inquisitione operam dante, adversarii *διαλύσει* placantur[1]), strategus causam inquisitam iudicibus competentibus ad iudicium deferebat (9 *δικασταῖς*[2]) aut *λαοκρίταις*[3]) aut aliis iudicibus).

Sed iudicibus ordinariis exempti erant quidam hominum ordines, privilegio fruentes, scil.

α. *οἱ ὑποτεταγμένοι τῇ διοικήσει*, i. e. magistratus *τῷ διοικητῇ* subjecti et ab hoc judicandi[4]).

β. *οἱ ὑποτελεῖς*, i. e. in regiis monopoliis occupati[5]).

Libelli accusatorii, contra eos prolati, *ὑπομνήματος* forma concepti, adversarii praeposito dabantur[6]) qui de eo ius dicebat.

Ratio perspicua est; nam ut viri, qui vectigalia curare debent, liberius agere possint, de iis non eodem modo iudicandum est ac de aliis.

II ante C. saeculo non iam chrematistis et stratego solis libelli accusatorii dari poterant, sed omnibus fere magistratibus, inter quos etiam *κωμογραμματεύς* est.

Sic nonnullorum *βασιλικῶν γεωργῶν* libelli, papyris nobis servati, dati sunt *κωμογραμματεῖ*[7]): agunt de furto, de vexatione,

---

1) De hac re cf. caput V.

2) Cf. *P. P.* III, 21 g; II, 21 (= III, 24).

3) *Pap. Magdola* in *Mélanges Nicole* p. 282.

4) Ptolemaeo Sotere II iubente dioecetae de iis ius dicendum est (cf. *Pap. Tebt.* I, 7); teste autem *Pap. Petrie* III, 36 iam III ante C. saeculo *οἱ ὑποτεταγμένοι τῇ διοικήσει* iudicibus ordinariis exempti erant. Cf. P. Meyer in *Klio* VII p. 289 ann. II.

5) Cf. *P. P.* III, 32 (c) (= II, 18, 1); ad haec Wilcken, *Archiv* III, p. 516 i. f.

6) Cf. *P. P.* III, 32, c, in qua petitor de adversario dicit: *κα[. . .] καταφρονήσας διὰ τὸ ὑπ[ο]τελ[ῆ]ι εἶναι αὐτὸν καὶ μὴ δύνασθαί [μ]ε [λ]αβεῖ[ν πα]ρ᾽ αὐτοῦ τὸ δί[κ]α[ιον] διὰ τοῦ [δι]καστηρίου, ἀξιῶ σε* (sc. *οἰκονόμον*, qui *ὑποτελεῖ* praepositus est) *ἐ[ὰ]ν φαίνηται ἀνακαλεσάμενο[ν κτλ.]*.

7) *Pap. Tebt.* I, 44–51; 53; 126–129.

de damno bonis petitoris allato, omnesque terminantur his aut similibus verbis: *διὸ ἐπιδίδωμί σοι* (sc. *κωμογραμματεῖ*) *ὅπως περὶ ἑκάστων ὑπογραφὴν ποιήσηι προσυποτάξας καὶ τοῦ ὑπομνή(ματος) ἀντίγραφον οἷς καθήκει, ἵνα κτλ.*[1]).

Sequitur quem in modum petitor rem iudicari cupiat, veluti in libello qui agit de irruptione in quandam domum facta rebusque furto inde subductis (*Pap. Tebt.* I, 45) legitur sic: *ἵνα τῶν ἐγκαλουμένων κατασταθέντων ἐγὼ μὲν κομίσωμαι τὰ ἐμαυτοῦ αὐτοὶ δὲ* (sc. adversarii) *τύχωσι τῆς ἁρμοζούσης ἐπιπλήξεως.*

Sed hos libellos esse *„Beispiele für die Sonderstellung der Privilegierten"* [2]), mihi non persuasum est: nam eodem modo Apollodorus, olei monopolii conductor in vico Cerceosiride libellos dat *κωμογραμματεῖ*, oleum in vicum clam importatum magno sibi damno fuisse questus[3]).

Sed etiam *ἐπιστάτης κώμης* Polemo filiusque Petesuchos, qui nullo munere fungitur, ad *κωμογραμματέα προσαγγελίας* deferunt, quod aedes suas duo vici incolae irruperint[4]).

---

1) *Pap. Tebt.* I, 45, 27 sqq.

2) Paul Meyer — *Klio* VII p. 291 in ima parte —, qui *βασιλικοὺς* quoque *γεωργοὺς* iudicibus ordinariis exemptos fuisse credit. (cf. *Klio* VI p. 465). Sed cf. infra annot. 4.

3) *Pap. Tebt.* I, 38, 10 sqq; 39; cf. 125 et 157.

4) *Pap. Tebt.* I, 15 et 16. N. 15 *ἐπιστάτου προσαγγελία* commemorari videtur in verbis depravatis (vv. 25—36); n. 16 *κωμογραμματεὺς* dicit Petesuchum rem ad se detulisse: . . . *[περὶ ὧν ἐπέδωκεν] ὁ Πετεσοῦχος τὴ[ν ὑποκειμένην] προσαγγελί(αν)* (vv. 19—21). — Nolo intelligi *βασιλικοὺς γεωργοὺς* privilegia omnino non habuisse. Eos habuisse satis apparet ex *P. P.* III, 31 cuius inscriptio est: *Ἀγαθίδι στρατηγῶι καὶ ἱππάρχηι παρὰ Σένθεως τοῦ Σ[. . . .]ου βασιλικοῦ γεωργοῦ καὶ κωμογραμματέως κώμης Λυσιμαχίδος*; primo igitur loco se *βασιλικὸν γεωργὸν* appellat (cf. Wilcken, *Archiv* III p. 516).

Cf. praeterea *Pap. Reinach* 18, ubi strategus *βασιλικοῦ γεωργοῦ* precibus sic respondet: *ε[ἴ ἐσ]τι βασιλικὸς γεωργός, προνοηθῆναι κτλ.* et *Pap. Tebt.* I, 5, 207 sqq., ubi *βασιλικοὶ γεωργοί* inter eos nominantur, qui iurisdictioni *λαοκριτῶν* subiecti non sunt. (Sic interpretantur editores et Leopold Wenger, *Archiv* II p. 494).

Sed *βασιλικοὺς γεωργοὺς* iudicibus ordinariis exemptos fuisse neque III neque II ante C. saeculi papyri docent.

Petunt petitores a *κωμογραμματεῖ* ut subscriptione facta libelli exemplar mittat *οἷς καθήκει;* a quibus iudicibus quaeque causa iudicanda sit, definiri non potest[1]).

Apparet autem ex *Pap. Tebt.* I, 15; 16; 38, *κωμογραμματέα* rem non ipsum deferre *οἷς καθήκει*, sed de ea referre ad *βασιλικὸν γραμματέα*, addito etiam libelli exemplari. Quod *βασιλικὸς γραμματεύς* addita subscriptione ad iudices mittit.

Talis *βασιλικοῦ γραμματέως* subscriptio servatur *Pap. Tebt.* I, 16, ubi legitur: *οἷς κα(θήκει) . προ(νοήσατε) ὡς αὐτοὶ κατασ[ταθέντες τύχωσι] τῆς ἁρμοζούσης ἐπιπ[λήξεως]* (vv. 23 sq.).

Fortasse *βασιλικὸς γραμματεύς* nonnumquam iudicibus praeest[2]). Ex his quae diximus *κωμογραμματεῖ* hanc potestatem mandatam fuisse apparet a *βασιλικῷ γραμματεῖ*, qui ipse vice strategi fungitur.

Etiam ex III ante C. saeculo nonnulli libelli extant, dati *κωμογραμματεῖ*: sic tres cleruchi vici Lysimachidis *κωμογραμματεῖ* horrea sua incensa esse renuntiant[3]); eiusdem vici Lysimachidis *κωμογραμματεῖ* cleruchus Thracicus *προσαγγέλλει* equorum stabulum nocte incensum esse[4]).

Utraque papyrus quamvis manca *προσαγγέλματα* continere videtur petitione carentia; quae, papyris testibus[5]), phylacitis quoque dantur. His in causis *κωμογραμματέως* me iudice est maleficos investigare; quibus repertis petitorem rem per libellum ad strategum vel chrematistas deferre verisimile est.

---

1) Cf. Jouguet, *Chronique des Papyrus II (Revue des Études Anciennes* 1905) p. 69; P. M. Meyer, *Klio* VI p. 462 annot. I.

2) Cf. *Pap. Amherst* II, 33, 6 sqq.: *σ]υνεστηκυίας ἡμῖν καταστάσεως ἐπὶ [Ζω]πύρου τοῦ ἐπι[μ]ελήτου καὶ Πετεαρψενήσιος τοῦ βασιλικοῦ γ[ραμ]ματέως συ[ν]εδρευόντων καὶ τῶν ἐν τῶι προειρημένωι νομῶι .... χρηματιστῶν.* Ad haec cf. Paul Meyer, *Klio* VII p. 290 i. f.

3) *P. P.* II, 38 (a) (corr. III p. 72), ubi Smyly supplet – *εὕρομεν τὰς [θ]ήκας ἐμπεπυρι[σμένας.*

4) *P. P.* III, 34 (a) cf. *Add. et Corr.* p. X.

5) Cf. *Pap. Hibeh* I, 36; 37; 144. Vide infra caput IV.

Sed fortasse III saeculo cleruchi privilegio fruentes talibus libellis, quales sunt *P. P.* II, 38 (a) et III, 34 (a), causas suas statim ad iudices competentes deferre poterant.

Accuratiora de hac re non constant.

c. [1]) *Βασιλικός* quidam *γεωργός* vici Cerceosiridis libellum dat Menchi, in quo praedii vicini possessorem aquam ex suo agro in ipsius (sc. petitoris) fundum derivavisse narrat, unde damnum 20 artabarum tritici acceperit. Sequitur:

διὸ ἐπιδίδωμί σοι ὅπως τοῦ ἐγκαλουμέν[ο]υ προσκλήθεντος ἐπαναγκάσθηι [2]) *ἀποδοῦναί μοι τὸ βλάβος, ἐὰν δὲ ἀπειθῆι ὑποτάξαι τοῦ ὑπομνήματος ἀντίγραφον οἷς καθήκει κτλ.* [3]).

Petit igitur a *κωμογραμματεῖ* ut operam det ut adversarius damnum sibi compenset; quod nisi contigerit, ut rem ad iudices *οἷς καθήκει* deferat.

Pap. Tebt. I, 50 aliter res se habet: alter *βασιλικὸς γεωργός* aquam ita arcuerat ut vicinus ager non irrigaretur; cuius possessor magno detrimento capto adit pacis arbitros in quibus sunt *κωμογραμματεύς*, comarcha, *πρεσβύτεροι τῶν γεωργῶν*. Reus aggerem aquam arcentem interscindere iubetur; cui iusso cum non obtemperaverit, petitor libellum dat *κωμογραμματεῖ*, qui rem ad iudices *οἷς καθήκει* deferat.

---

1) De *κωμογραμματεῖ* pacis arbitro cf. R. Taubenschlag in *Archiv* IV p. 38.

2) Ne ex verbo „*ἐπαναγκάζειν*" collegeris *κωμογραμματέα* adversarium cogere potuisse petitori damnum compensare. Non potuisse apparet cum ex verbis sequentibus *(ἐὰν δὲ ἀπειθῆι κτλ.)* tum ex *Pap. Magdola* 13, ubi legitur, *δεόμεθα* (sc. nos petitores) *οὖν σου, βασιλεῦ, εἴ σοι δοκεῖ, προστάξαι Διοφανεῖ τῶι στρατηγῶι γράψαι Φιλώται τῶι ἐπιστάτηι, ἐὰν ἦι ἀληθῆ τὰ διὰ τῆς ἐντεύξεως γεγραμμένα, ἐ π α ν α γ κ ά σ α ι Φίλωταν τὸν Θεύδοτον καὶ Ἀγάθωνα* (sc. reos) *τά τε ἐξενεχθέντα ἀποδοῦναι ἡμῖν κτλ.* (vv. 9 sqq.). Quamquam epistata numquam iudex est, semper pacis arbiter, tamen verbum *ἐπαναγκάζειν* a petitoribus usurpatur.

3) *Pap. Tebt.* I, 49.

IV.

Qui *κωμογραμματέως* multa ac varia negotia [1]) ob oculos habet, non dubitabit quin magnus scribarum numerus ad negotia illa transigenda praesto ei fuerit. Nec tamen mirum quod papyri de iis fere tacent: ipse enim *κωμογραμματεύς* omnium quae in officio fiunt rerum rationem dare debet; illius nomine, ut hodie quoque fieri solet, omnia perficiuntur. Nonnulli tamen ex ministris eius commemorantur in *Pap. Tebt.* I, 12:

γείνωσκε τὸν [. . .] παρ' ἡμῶν (sc. *Μεγχείους κωμογραμματέως*) *ὧν* (l. *ὄντα*) *ἐν τοῖς Ἀμεννέως [τοῦ βα(σιλικοῦ)] γρ(αμματέως) κτλ.* (vv. 2 sqq.).

Etiam *[Ἀρω]τεῖος* ille, qui *χάριν τῆς εὐθυμετρίας τῆς κώ(μης) καὶ [τοῦ] σχοι(νισμοῦ)* [2]) a *βασιλικῷ γραμματεῖ* retinetur, unus ex *κωμογραμματέως* ministris esse videtur.

Iam supra (p. 21) 10 talenta illa, *περεὶ τῆς κομογραμματήας* soluta, de quibus agitur in *Pap. Grenfell* I, 22, data esse ad administrationis impensa solvenda opinatus sum.

Facile intelligas *κωμογραμματέα*, quippe cui tanta potestas mandata esset, interdum abusum ea fuisse. Nec desunt in papyris in *κωμογραμματέα* querimoniae: sic fratres Acusilaos et Ptolemaeus chrematistis *ἔντευξιν* dant, *κωμογραμματέα* sibi aliquid agri eripuisse querentes [3]). Item in *Pap. Tebt.* I, 183 *κωμογραμματεύς* fraudis in *βασιλικόν* quendam *γεωργόν* commissae particeps dicitur. Fortasse huc etiam pertinet *Pap. Grenfell* I, 13, ex qua, quamvis depravata, apparet *βασιλικούς* quosdam *γεωργούς* a magistratu, cui epistolam dant, petere ut audiantur coram *κωμογραμματεῖ*.

---

1) Cf. *Pap. Tebt.* I, 12, 19 sqq: . . . . *ἐπὶ* (l. *ἐπεὶ*) *οὐ καὶ σὺ οὐκ ἀγνοεῖς ἐν ἧι ἐσμεν ἀσχολίαι;* cf. 29, 10—14.

2) Vv. 6 sq; de re cf. supra p. 35.

3) *Pap. Tebt.* I, 29.

Egi iam supra de κωμογραμματέως fraudibus in praediis cleruchis vel templis distribuendis [1]).

Haec hactenus. Vidimus κωμογραμματεῖ, nomine regis creato, II ante C. saeculo inprimis mandatum fuisse ut κώμης agros administraret, ut colonorum tributa exigat administretque, aggeres et fossas, quae erant intra κώμης fines, curet, magistratibus superioribus in liturgiis distribuendis appareat.

Tum quasdam partes agebat in regiis monopoliis sustentandis, nec tamen accurate constitui potest, quales fuerint.

Deinde κωμογραμματεῖ libelli dari possunt, quibus ab eo petitur ut causam iudicibus competentibus deferat.

Denique ei ius coercitionis est.

In III ante C. saeculi papyris minus frequens mentio eius est, quo fit ut quae tunc temporis munera eius fuerint accurate definiri non possit. Sed agrorum administratio comarchae mandata erat, id quod capite sequenti demonstrare conabimur.

Fortasse κωμογραμματεύς comarchae in his muneribus gerendis auxilio erat.

---

1) p. 38 sq.

CAPUT III.

DE COMARCHA[1]).

I.

Capite praecedenti vidimus κωμογραμματεύς quas partes in κώμῃ Aegyptia administranda II ante C. saeculo egerit. Quamvis autem de comarchae potestate, qualis fuerit III ante C. saeculo paulo melius edocti simus quam de eiusdem magistratus potestate saeculo II diminuta, tamen expedit, quo κωμογραμματέως et comarchae potestates melius comparari possint, primum exponere, quemnam locum comarcha II saec. obtinuerit.

Primo loco quaerentibus quisnam comarcham nominaverit, certi nihil constare respondendum. Habemus autem papyros, posteriore aetate Romana scriptas, unde κωμαρχείαν tunc λειτουργίαν fuisse, comarcham κώμης incolis auctoribus nominatum esse a magistratu qui nomo praeesset, apparet [2]). Ex quibus κωμαρχείαν antiquitus λειτουργίαν fuisse fortasse colligas: talia enim instituta mutari non

---

[1]) De comarcha agunt:

H. Maspero, *Les Finances de l'Égypte sous les Lagides* pp. 186; 212.

Bouché-Leclercq, *Hist. d. Lag.* III p. 132 sq.

[2]) *Pap. Fior.* 2 Col. VII; *Pap. Amherst* II, 139, scriptae annis p. C. 265 et 350. Cf. supra p. 47 sq.

Duo comarchae, qui inde a III p. C. saeculo κώμῃ praesunt, illis temporibus nomina λειτουργούντων candidatorum offerunt magistratui, qui nomo aut πάγῳ (a Diocletiano enim imperatore νομοί in πάγους divisi sunt) praepositus est.

solent. Praeterea infra demonstrare conabimur comarcham unum atque principem ex *πρεσβυτέροις τῶν γεωργῶν* fuisse, quos *λειτουργοῦντας* esse constat [1]).

Munus comarchae Ptolemaeorum aetate plures annos continuos gerebatur. Horus enim quidam *κώμης* Cerceosiridis comarcha erat annis ante C. 115 [2]), 114 [3]), 113 [4]), 112 [5]).

Comarcha semper indigena erat.

II.

De comarchae muneribus.

a. II ante C. saeculo.

Munera quae fuerint comarchae II ante C. saeculo *Pap. Tebt.* I, 41, 48, 128 ostendere videntur.

Quarum n. 41 est libellus, datus ad *ἀρχιφυλακίτην, παρὰ Ἁρμιύσιος κωμάρχου καὶ τῶν ἐκ τῆς αὐτῆς* (sc. *κώμης*) *βασιλικῶν γεωργῶν*, quo conqueruntur, quod Marres *τοπογραμματεύς* aliique gladiis armati continuos in vicum vicanosque impetus fecerint ita ut magna *βασιλικῶν γεωργῶν* pars in vicinos vicos transmigrasset. *Ὧν χάριν* [6]), pergunt, *ἐμποδιζόμενοι τῆι εἰσαγωγῆι τῶν ὀφειλομένων πρός τε τὴν μίσθωσιν καὶ τοὺς στεφάνους* [7]), *διὸ ἐπιδίδομέν σοι τὸ ὑπόμνημα ἵνα . . . . αὐτ[οί] τε ἀπαρενόχλητοι ὄντες δυν[ώ]μεθα ἀντέχεσθαι τῆς εἰσαγωγῆς καὶ οὐθὲν τῶι βασιλεῖ διαπέσηι.*

N. 48 libellus est Menchi datus *παρὰ Ὥρου κωμάρχου καὶ*

---

1) Cf. *B. G. U.* 6.

2) *Pap. Tebt.* I, 50.

3) Ibid. 13.

4) Ibid. 128; 48.

5) Ibid. 159.

6) *Ὧν χάριν* pro *ἐξ ὧν*. Verborum constructio falsa est.

7) *Στέφανος* initio erat vectigal quod exigi solebat, cum rex in quovis vico commorabatur; postea tributum factum est. De quo cf. Wilcken, *G. O.* p. 295–302, *Pap. Tebt.* annot. ad I, 61*b*, 254, Maspero, *l. l.* p. 148 sqq.

τῶν πρεσβυτέρων τῶν γεωργῶν τῆς αὐτῆς (sc. *κώμης*), quo narrant, cum toparchae per litteras polliciti essent die constituto fisci augendi causa tritici 1500 artabas praebituros se esse, nocte dieque se laboravisse ut frumentum promissum, item octoginta artabas *πρὸς τὴν τοῦ βασιλέως παρουσίαν* [1]) cogerent. Sed a Lyco quodam aliisque inopinantes in frumento cogendo invasos et Horo comarchae vim allatam esse, ita ut comarcha, *πρεσβύτεροι*, alii *γεωργοί* aufugissent. Pergunt se *διὰ . . ταύτην τὴν αἰτίανἐμποδισθῆναι ἐν τοῖς κατὰ τὴν παράδοσιν τῶν ἐκφορίων καὶ τῶν ἄλλων ἐπιγεγραμμένων* [2]).

No. 128 editores sic describunt: *„Petition to Menches from the komarch Horus and the πρεσβύτεροι γεωργῶν, complaining of an assault, by reason of which they were hindered in the πρακτορεία and the land was not sown."*

Ex papyris allatis colligere me iudice possumus comarcham unum ex *βασιλικοῖς γεωργοῖς*, vel potius ex *πρεσβυτέροις τῶν βασιλικῶν γεωργῶν* fuisse, iniunctumque ei fuisse una cum *πρεσβυτέροις*, ut tributa a *βασιλικοῖς γεωργοῖς* fisco debita, exigeret traderetque sitologis.

Cui rei non obstat quod in papyris laudatis aliisque voce *πρεσβυτέροις* non ipse comarcha quoque comprehenditur. Immo *πρεσβύτεροι* principes erant *τῶν βασιλικῶν γεωργῶν*, ipse princeps *τῶν πρεσβυτέρων*: locum igitur in *κώμῃ* singularem obtinet [3]).

Magnum igitur discrimen est inter *κωμογραμματέα* et comarcham: *κωμογραμματεύς* magistratus est, qui *κώμης* agros nomine regis administrabat tributorumque, ab omnibus colonis (etiam a

---

1) Edd. adnotant: *„payments for the ‚visit' of the king or officials are often met with in Ptolemaic papyri"*.

Cf. Wilcken, *G. O.* p. 274 sqq.

2) Vv. 27–30.

Libelli parte extrema quae periit petivisse videntur ut Menches rem ad iudices deferret.

3) Comparari possunt haec: „senatus populusque Romanus"; *„burgemeester en burgers"*, cet.

κληρούχοις et *ἱεροῖς γεωργοῖς*) fisco debitorum, rationem reddere debebat *βασιλικῷ γραμματεῖ*; comarcha vero princeps est *τῶν βασιλικῶν γεωργῶν*, qui illius magistratus potestati subiectus est, qui vice regis in *κώμῃ* fungitur, i. e. *κωμογραμματέως*.

Cetera comarchae munera ab illo munere proficiscuntur. Neque enim mirum est quod mandatur comarchae et *πρεσβυτέροις*, quippe quibus bonus agrorum status commodo sit, ut *κωμογραμματεῖ* appareant in aggeribus fossisque sustentandis [1]); nec magis quod *βασιλικός* quidam *γεωργός*, cui vicinus fossam obstruxit, magno damno accepto pacis arbitros adhibet praeter *κωμογραμματέα* comarcham et *πρεσβυτέρους* [2]).

Porro comarchae est una cum *γενηματοφύλακι* sitologorum [3]) relationibus *κωμογραμματεῖ* tradendis subscribere; qui his usus magistratibus superioribus de tributis refert; e. g.:

παρὰ Μεγχείους κωμ[ογραμ]ματέως Κερκεοσίρεως εἰσδοχὴι κατ᾽ ἄνδρα [τοῦ με]μετρημένου σίτου Πτολεμαίωι καὶ Πα[. . .] τοῖς σιτολογοῦσι τὸ περὶ αὐ(τὴν) (sc. *κώμην*) *ἐργα(στήριον) ἀπὸ τῶν γενημάτων τ[οῦ αὐ(τοῦ) (ἔτους)] οἳ καὶ ἀντιγραφόμενοι δι᾽ Ὥρου κωμάρχου [καὶ] Μαρρείους γενηματοφύλακες* (l. *-κος*) [4]).

Nemo non intelliget comarcham, qui tributa a *βασιλικοῖς γεωργοῖς* accepta *σιτολόγοις* tradat, maxime idoneum esse ad hoc munus gerendum.

Neque vero raro fit ut comarcha potestate sua abutatur. Sic *βασιλικός* quidam *γεωργός* apud *κωμομισθωτήν* [5]) conqueritur quod comarcha et *γενηματοφύλαξ*, favente *κωμογραμματεῖ*, plus

---

1) *Pap. Tebt.* I, 13. V. supra p. 44 sq.

Cf. ibid. 67, 72, ubi Menches refert: *ἐκφόριν ἀσπόρου βεβρεγμένης δι᾽ ἀμελίαν τῶν ὑπογεγρ[αμ]μένων γεωργῶν καὶ Ὥρου κωμάρχου.*

2) *Pap. Tebt.* I, 50, cf. supra p. 55.

3) De sitologis cf. Praef. gen. (supra p. 16).

4) *Pap. Tebt.* I, 159.

5) Adnotant editores „*Probably the official in charge of μισθώσεις of βασιλικὴ γῆ*".

Semel tantum in papyris eius mentio fit.

debitis tributorum a se exegerint neque detrimentum restitutum sibi sit, quamquam *μεριδάρχης*, quem pacis arbitrum adhibuisset, sibi assensus esset[1]). Item *Pap. Amherst* II, 33[2]) agit de nonnullis *βασιλικοῖς γεωργοῖς*, qui litem intendunt Tesenouphi, *τῷ κωμαρχήσαντι τὴν προειρημένην κώμην*, propter iniusta aliqua atque falsas tributorum rationes ab eo factas.

Maspero[3]), de comarchae et *πρεσβυτέρων* loco agens, quem II ante C. saeculo obtinuerint, *πρεσβυτέρους* rationibus *βασιλικῶν γεωργῶν*, comarcham vero et *κωμογραμματέα* fisci rationibus consuluisse opinatur.

Quod a veritate abhorret: re vera saec. II comarcha et *πρεσβύτεροι* rationibus *βασιλικῶν γεωργῶν* consulunt, *κωμογραμματεύς* fisci commoda tuetur.

Universe Maspero II saec. comarchis et toparchis maiorem potestatem attribuit; neque audiendus est dicens: „*Leur* (sc. comarcharum) *rôle était surtout celui d'administrateur et d'intendant du domaine.*" Ut enim III saec. comarcha hoc munus gesserit, II saec. *κωμογραμματέα* omnes *κώμης* agros administravisse constat.

Neque minus dissentio a Maspero colligente ex *Pap. Tebt.* I, 22 et 128 „*(que) le comarque s'occupe aussi des ensemencements, règle de concert avec le cômogrammate et un conseil de paysans, οἱ πρεσβύτεροι, la question de la rotation des cultures, enfin veille aux semailles et inspecte les champs.*" Et paulo post: „*Enfin il semble avoir a contrôler la perception des impôts en nature.*"[4])

Sed etiam *κωμογραμματεῖ* Maspero partes custodientis (*contrôleur*) attribuit neque minus epimeletae, quis in Aegypto vectigalia exegerit non dicit. Immo, ex papyris comarcham in tributis exigendis adiutorem fuisse *κωμογραμματέως* satis apparet.

---

1) *Pap. Tebt.* I, 183.

2) Hac papyro docemur reis in causis fiscalibus interdictum fuisse ne patronum adhiberent; cf. L. Wenger, *Archiv* II p. 49 sqq.

3) *l. l.* p. 212–14.

4) *l. l.* p. 213.

Videamus nunc comarchae quae fuerint munera III ante C. saeculo.

b. III ante C. saeculo.

1. *De cura agrorum.*

Inter *Papyros Flinders Petrie* nonnullae magistratus cuiusdam relationes inveniuntur, quae de nomi Arsinoitae agris agunt[1]; ex quibus una sic habet:

> [15 litterae] *ω[. . . κω]μάρχου*
> . . . . . . *κατὰ φύλλα σπόρος*
> *[τοῦ] δ∟ κώμης Τεβέτνου*[2]),

sequuntur *γεωργῶν* nomina, quot aruras colant, quonam frumenti genere agri sati sint. Primo versu *παρά* cum genetivo nominis proprii excidisse constat neque dubitari potest, quin supplementum *κω]μάρχου* rectum sit; vocabulum enim *νο]μάρχου*, de quo solo cogitare quis possit, ad verba sequentia „*κώμης Τεβέτνου*" me iudice non quadrat.

Pap. Petrie III, 94 legitur:

> *παρὰ Πιταίου κωμάρχ[ου*
> *⟨τ . . . . α τῆς⟩ διαγραφῆς*
> *τοῦ κε∟ τῶν περὶ Ἀπιάδ[α*
> *τόπων.*
> *Φιλοπάτ[ορο]ς διὰ κωμ[αρ-*
> *χου κτλ.*

Vv. 1—4 extrema verba esse puto rationis *κώμης Ἀπιάδος*[3]). Inde a versu 5 ratio *κώμης Φιλοπάτορος* incipit. Utramque rationem a comarcha scriptam, quamquam accuratius definiri nequit, ad *κωμῶν* agrum pertinere constat.

Relationes igitur rationesque, quae II ante C. saeculo a *κωμογραμματεῖ* confici solebant, III saec. a comarcha confectas esse

---

1) De his relationibus cf. supra p. 33 sqq.

2) *P. P.* III, 95.

3) Hic vicus in *Pap. Petrie* saepe commemoratur; v. Indicem vol. III p. 351.

apparet [1]). Unde eum hac aetate utique *βασιλικὴν γῆν* administravisse colligas; utrum potestas eius etiam ad *κληρουχικήν* et *ἱερὰν γῆν* pertinuerit an Maspero assentiendum sit dicenti: *„prêtres et seigneurs* (sunt *κληροῦχοι*) *administraient leurs terres eux-mêmes, c'étaient des fiefs qu'ils gouvernaient à leur gré sans-que les employés royaux y aient rien a voir"* [2]), diiudicare nolim.

Papyro Petrie III, 100 paene ut Maspero adverser adducor: Papyrus rationes duas continet quorundam vectigalium a duarum *κωμῶν* colonis solutorum; altera ratio (b) Col. III, 4 deficit, ubi vici Moeëthumeos ratio incipit, quae confecta est a comarcha:

Μοιεθύμεως [
διὰ κωμάρχου [
Πετοσίριος [
βασιλικῆς [

Prioris autem rationis initio perdito quisnam eam scripserit non constat; sed cum utraque ratio una papyro contineatur, altera a comarcha confecta sit, etiam priorem, in qua *κληρουχικῆς γῆς* mentio fit [3]), scriptam esse a comarcha verisimile est. Quod si ita est, etiam *κληρουχικὴν γῆν* a comarcha administratam esse manifestum est.

Utut est, III ante C. saeculo aliquanto maior agrorum pars *βασιλική* erat quam *κληρουχική* et *ἱερὰ γῆ;* itaque in plerisque vicis comarcha utique maiorem agri partem administrabat.

Quam vim habeant relationes illae, papyrus docet quae sic legitur [4]):

β[α]σιλεύοντος Πτολεμαίου [τοῦ]
Πτολεμαίου καὶ Ἀρσινόης θεῶν
Ἀδελφῶν ἔτους ιβ παρ' Ἀμμων[ίου
νομάρχου τοῦ Ἀρσινοίτου τῆς

---

1) Cf. *P. P.* III, 95, 2 cum *Pap. Tebt.* I, 67, 2; 68, 2; 38, 3 cet.
2) *l. l.* p. 184.
3) Col. II, 9; 13.
4) *P. P.* III, 75 (II, 30, (d)).

5. *κατεσπαρμένης γῆς εἰς τὸ ιγ ἔτο[ς*
ἕως Ἀθὺρ λ καθότι ἐπέδωκαν οἱ τ[ό]παρ[χοι[1]).

Sequitur quot arurae quoque frumenti genere consitae sint. Ergo toparchae relationes ab omnibus *τόπου* comarchis sibi datas nomarchae collectas mittunt, qui totius nomarchiae relationem componit; cuius exemplar est *P. P.* III, 75. Fortasse nomarcha eam dioecetae tradit, sed de ea re papyri tacent.

2. *De cura aggerum fossarumque.*

Comarcham, quippe cui agrorum administratio mandata sit, etiam curam aggerum et fossarum habuisse consentaneum est; pendet enim ex illis terrae fertilitas[2]).

De qua re papyri quoque certiores nos faciunt: *Pap. Fl. Petrie* I, 22, 2 (corr. III, 37), anno 28 Ptolemaei Philadelphi scripta, *μέτρησις* est *ἔργων τῶν ἐν τῆι Καλλιφάνους μερίδι*[3]) *τῆς Νίκωνος νομαρχία[ς] διὰ Δωρίωνος τοῦ παρὰ Ζωπυρίωνος καὶ Ἀπολλωνίδου τοῦ παρὰ Νίκωνος καὶ διὰ τῶν γραμματέων τῶν ἐν ἑκάστωι τόπωι.*

Sequuntur tabellae pertinentes ad *χωματικὰ ἔργα*, operis mercenariis praestita: operis 60 *ναύβια* quattuor drachmis aequantur[4]).

Opus in partes distributum esse videtur, quarum quae praestanda erat in vico Tamai moderante Pasi comarcha confecta est[5]). Vv. enim 9 sqq. sic legimus:

---

1) Wilcken adnotat (Add. et Corr. p. XIX) *„die Spuren passen besser zu τ[ο]π[ο]γ[ραμματεῖς]"*, sed neque III neque II ante C. saeculo *τοπογραμματεῖς* relationes de agris conscripserunt. Praeterea nomarchas a toparchis ea saccepisse potius crediderim quam a *τοπογραμματεῦσιν*.

2) Cf. supra p. 44 sq.

3) *Νομαρχίαι* divisae sunt in *μερίδας*, quae diversae sunt ab *Ἡρακλείδου, Θεμίστου, Πολέμωνος μερίσι* nomi Arsinoitae,

4) De vocabuli *ναύβιον* significatione cf. Wilcken, *G. O.* p. 259 sqq., *Pap. Tebt.* annot. ad I, 76, 8–9, Mahaffy in Appendice *P. P.* III, Maspero *l. l.* p. 129 sq.

5) Toti operi praesunt Dorion, Apollonides, scribae *ἐν ἑκάστῳ τόπῳ*; iis subiecti sunt et Pasis et alii quibus singulae operis partes curae sunt.

ἐν Ταμάει παρὰ τὴν λίμνην περὶ
Φιλωτερίδα διὰ κωμάρχου Πάσιτος
του . . . υϑ . . . ος κωμογραμματέως
. . . .]. ιος Σισούχου Πάσιτος καὶ τῶν
μετό]χων κτλ.

An ex v. 11 appareat et *κωμογραμματέα* quasdam in hac re partes egisse, propter verba manca[1]) diiudicare nolim. Mahaffyi interpretationem „*In Tamais . . . by the komarch Pasis, the son of . . . and the komogrammateus . . ., the son of Sisouchos*" falsam utique esse arbitror; copula enim *καί* deest.

Sed fortasse hic agitur de privatis comarchae negotiis; primo enim non solus operi praeest sed cum *μετόχοις*, deinde etiam ceteris operis partibus viri praesunt, qui munere publico non funguntur[2]).

Aliter vero res se habet *P. P.* II, 13, (2)[3]), in qua Armais quidam Cleoni, operibus publicis praeposito, haec scribit: *κα[λῶς ἂ]ν π[ο]ιήσαις συντ[άξ]ας δοῦναι Πετεσνηίτωι* (?) *κωμάρ[χηι] Σεβ[εννύτου] εἰς ἐπισκευ[ὴν ϑ]υρῶν*[4]) *τριῶν τῶν κατὰ Σεβέννυτον σχοινία τριάκοντα;* petit, ut comarchae vici Sebennyti 30 *σχοινία*[5]) ad tres catarractas restituendas (male Mahaffy „*for the construction*") quae sunt in vici illius territorio, mittantur. Catarractae autem sunt *χωματικῶν ἔργων.*

Eandem atque comarchis in *κώμῃ* curam fuisse toparchis nomarchisque in *τόπῳ* et in *νομῷ* P. P. III, 42 F (a) (p. 107) demonstrare videtur, in qua opus ab oeconomo et *ἀρχιτέκτονι*

---

1) Smylyi textum laudavi. Wilcken legit pro *κωμογραμματέως* (v. 11) *–τεύς*. Revillout (*Mélanges* p. 377) v. 11 legit: *Πεκυσίου Ἀπολλοδότου κωμογραμματέως*. In prima editione Mahaffy legerat *χῶμα ἄγον ἀπὸ τοῦ*.

2) (a) Col. II, 10 sqq.; 22 sqq.; (b) Col. I, 1 sqq.; 10 – Col. II, 16; Col. III, 1 sqq.; 12 sqq.; 17 sqq.

3) Correcta III p. 104 i. f.

4) Smylyi supplementum pro Mahaffyi lectione *γεφ]υρῶν*.

5) Quid sit non intelligo; *σχοινίον* est mensura de qua cf. *Pap. Tebt.* I, 13, 13 annot.

locatur, quibus adsunt *βασιλικὸς γραμματεύς* et *νομάρχης τῶν ὑδραγωγῶν* [1]).

3. *De seminis distributione.*

Est magistratus, qui agros administrat, semen ante tempus serendi agricolis distribuere, post messem factam reposcere. II igitur ante C. saeculo hoc munus *κωμογραμματεῖ* erat [2]), id quod inde quoque colligi potest, quod ille tunc et alia tributa et *δάνεια σπερμάτων* exigere solebat [3]).

III vero ante C. saeculo comarchae est semen *γεωργοῖς* distribuere.

Quod attinet ad semina olearia agricolis distribuenda Rev. Papyro docemur, ubi haec leguntur (Col. 41, 14 sqq.):

ὁ δὲ οἰκονόμος [πρ]ότερον ἢ τὴν ὥραν καθήκειν τοῦ σ[π]είρεσθαι τὸ σήσαμον καὶ τὸν κρότωνα δότω τῶι προεστηκότι τοῦ νομοῦ νομάρχηι ἢ τοπάρχηι [4]) *εἰ[ς] τὸν σπ[ό]ρον τοῦ μὲν σησάμου [τῆς ἀρού]ρας* |- δ [5]) *τοῦ δὲ κρότ[ω]νο[ς] τῆς ἀρού[ρας* |-] *β.*

Oeconomus *τῶι προεστηκότι τοῦ νομοῦ νομάρχηι ἢ τοπάρχηι* pecunias dare debet, quem semina empta comarchis distribuenda tradidisse duae papyri certiores nos faciunt. Harum altera [6]) agit de semine *σησάμου* et *κρότωνος* comarchae Arbichi distribuendo, altera [7]) habet hoc:

---

1) Deest quidem exemplum ex quo etiam toparchae hanc curam fuisse apparet, sed fieri non potest ut toparcha, quippe qui subiectus sit nomarchae, praepositus comarchae, eam non habuerit.

2) De *κωμογραμματεῖ μερισμὸν σπερμάτων* aetate Romana administrante cf. *B. G. U.* 20 et 512.

Paul Viereck, *Quittungen über Lieferung von Saatkorn* (*Hermes* 30 (1895) p. 107 sqq.).

3) V. supra p. 24.

4) De his verbis cf. editorem Grenfell in annot. p. 133.

5) |- siglum est pro drachma.

6) *P. P.* II, 39 (a) (corr. III, 88, p. 223); etiam edita a Grenfellio in *Rev. Pap.* p. 188.

7) *P. P.* III, 89.

Ἡρακλείδης ....ει χαίρειν. [σύν]τ[α]ξον[1]) *μετρῆσαι τοῖς ὑπογεγραμμένοις γεωργοῖς διὰ τῶν κωμαρχῶν καὶ κωμογραμματέων δάνειον εἰς τὸν σπόρον τοῦ κρότωνος κτλ.*

Praeter comarchas cur *κωμογραμματεῖς* adhibeantur, utrum ut distributionem custodiant an alia ex causa non apparet.

Ut fraudandi semina occasio *γεωργοῖς* adimeretur, comarcham ab eo qui olei monopolium conduxit [2]) libellum obsignatum accipere oportebat, in quo quantum a quoque *γεωργῶν* frumenti conductor emisset indicatum erat. Nisi conductor libellum dabat, comarchae messem e vico emittere non licuit; sin aliter comarcham mille drachmarum multam fisco solvere oportebat, conductori damni allati quincuplum [3]).

Patet quam versuti fuerint Ptolemaei in vectigalibus exigendis: conductor enim si officio deerat, comarcha curare debebat ne quo damno affici posset conductor (i. e. rex; conductor enim, quippe qui munerum regi praebitorum mercedem acciperet, vice regis quaestui praeerat [4]); sin comarcha officio deerat, ipsi multa imponi solebat.

Pauca addamus de frumenti seminis distributione. Quamquam testimonia desiderantur, tamen quaedam in papyris indicia non desunt, unde et hanc comarchae curae fuisse colligi possit. Nam in *P. P.* 100, de qua supra (p. 64) egi, inter vectigalia comarchae soluta etiam *σπέρμα* nominatur [5]).

---

1) Wilckenii est supplementum (*P. P.* III, Add. et Corr. p. XIX); cf. *Pap. Hibeh* I. 43: *σύνταξον μετρῆσ[αι] τὸ σήσαμον κτλ.*

2) Illi soli *γεωργοῖς*, semina olearia colentibus, messem vendere licebat.

3) Perspicuitatis causa *Rev. Papyri* textum transcribo:

ἄλλωι δὲ μηθενὶ (sc. nisi monopolii conductori) *ἐξουσίαν ἐχέτωσαν οἱ γεωργ[οὶ] πωλεῖν μ[ήτε σή]σαμον μήτε κρότω[να] .... κ[αὶ ἀπο]σφρ[ά]γισμα διδότ[ωσαν]* (sc. conductores) *[τῶι κ]ωμάρχηι ὧ[ν] παρ' ἑκάστ[ου] γεω[ργοῦ ἔλαβο]ν, ἐὰν δὲ μὴ δῶσι τὸ ἀποσφράγισμα μὴ προιέσθω ὁ κωμάρχης ἐκ τῆς κώμης, εἰ δὲ μή, ἀποτινέτω εἰς τὸ βασιλικὸν ⊢ Ἀ καὶ ὅ τι ἂν ἡ ὠνὴ διὰ ταῦτα καταβλάβη πεν[τ]απλοῦν.* (Col. 39, 19–40, 8).

4) Cf. *Rev. Pap.* Col. 55.

5) (b) Col. III, 12, 17, 19.

Praeterea sacerdos quidam accepit *παρὰ Πάριτος Σισυβαίου τοῦ παρ[ὰ] Ἁριμούθ[ο]υ τοῦ νομάρχου ἐκ τῆς κάτω τοπαρχί[ας] τὸ γρ[α]φ[ὲν λ]ῆμμα καὶ ἀνά[λ]ωμα* [1]) *σπέρμα εἰς τὸ κε (ἔτος) εἰς τὸν Φιλοξένου κλῆρον βασιλικόν* [2]) . . . . *(πυρῶν)μ, κριθ(ῶν) ληγ' κτλ.* [3]).

Nomarcha igitur frumenti quoque seminis distributioni praepositus hoc munus in singulis *τόποις* ac *κώμαις* toparchis comarchisve mandat, id quod papyro confirmatur, quam ita legas:

ἔτους γ π[αρὰ
τοπάρχου σίτ[ου τοῦ
μεμετρημ[ένου κατὰ
κώμην ἐν τ[οῖς ὑπό με
τόποις ἀπὸ Πα[χὼν ἕως
Παυνί.
Ἀλαβανθίδος
Παχὼν ᾱ ἐν αὐτῆι [
β̄ [
γ̄ [[4])

Tabellae esse videntur *κατὰ κώμην* ordinatae, in quibus quantum seminis cuiusque vici *γεωργοῖς* mutuo datum sit indicatur. Incipiunt a vico Alabanthide, cui vico quantum seminis singulis mensis Pachon diebus praebitum sit, literis mandatur. Vicos literarum ordine dispositos fuisse credam.

Toparcha igitur singulis sui *τόπου* vicis semen distribuit, quod a comarchis singulis *γεωργοῖς* praebeatur.

---

1) *„being included in the lists of receipts and expenditure"* edd. iure, ut videtur.

2) Sacerdoti *σπέρμα* mutuo datur ut *βασιλικῷ γεωργῷ*. Philoxeni enim *κλῆρος βασιλικῇ γῇ* addita erat, cf. *Pap. Hibeh* 75 et annot. ad 52, 26.

3) *Pap. Hibeh* I, 85, 8 sqq.

4) *P. P.* III, 106 (b) recto (p. 254). Vocabula linea instructa ego supplevi.

4. *De muneribus quae pertinent ad disciplinam publicam.*

Comarcham III ante C. saeculo idem coercitionis ius habuisse verisimile est, quod *κωμογραμματεῖ* II saec. fuisse suprà [1]) vidimus. Quin etiam ampliorem ei potestatem fuisse *Papyrus Magdola* [2]) significare videtur, ubi mulier quaedam Heracleopolita libello regi dato de *Ὀξορύγχου* vici muliere questa, quae in balneis lavatam verberibus se affecerit, sic pergit: *[μ]ετὰ δὲ ταῦτα καταβοησάσης μου Πετοσίρει τῶι κωμάρχηι, περὶ τούτων ἀνακληθεῖσα ἡ Θοθορταῖς καὶ προσφ[ ]ασα αὐτῶι ὅποτ' ἠβούλετο, συμποιήσας αὐτῆι ὁ κωμάρχης προσαπώσατό με εἰς τὴν φυλακὴν καὶ σύνεσχεν ἐφ' ἡμέρας ἕ[νδε]κ[α ἕως] τοῦ ἐγδῦσαί με ὃ περιεβεβλήμην ἱμάτιον ἄξιον (δραχμῶν) κ' καὶ ἔχει ἡ ἐγκαλουμένη καὶ οὕτως διεί[θ]ην.*

Mulier igitur peregrina a vici comarcha, quem auxilio contra incolam vexantem se vocasset, in carcerem coniecta neque ante dimissa est quam pallium ei dedisset. Qua re petit ut et pallium sibi restituatur [3]) et strategus de vi sibi illata inquirat [4]).

Ex quibus III saec. comarcham querelis adiri potuisse de disciplina publica vexata apparet [5]). Quem causam inquisitam ad iudices competentes detulisse verisimile est, quamquam hac de re papyri tacent. Petosiris vero comarcha mulierem querentem statim in vincula coniciens, sua potestate abutitur.

---

[1]) P. 50 sq.

[2]) Edita a Jougueto et Lefebvrio in *Mélanges Nicole* p. 282 sq.

[3]) De modo quo hoc fit cf. caput V.

[4]) *περὶ δὲ ὧν συντετέλεσται εἴς μ[ε Δι]οφάνην* (i. e. strategum) *διαγνῶναι.*

[5]) Tales querelae plerumque deferuntur ad unum ex magistratibus, quibus securitas publica mandata est. (De his cf. capita sequentia). Sic mulier quaedam in altera *ἐντεύξει*, quae de vexatione in balneis agit, querela archiphylacitam se adiisse narrat. (*Pap. Magd.* 33.)

Munera comarchae III ante C. saeculo imposita paene eadem fuisse vidimus ac quae *κωμογραμματέως* erant II saeculo. Quando autem comarchae potestas *κωμογραμματεῖ* tradita sit, ex papyris repertis colligi nondum potest. Aut III saeculo exeunte aut II ineunte, cum administratio tota mutaretur, factum hoc esse verisimile est.

Proxime sine dubio cohaerent et comarchae potestas tunc diminuta et nomarchae [1]) munera inde a Ptolemaeis regnantibus paulatim in strategum, Graecum magistratum, translata, qui cum initio nomi militibus tantum praeesset, II ante C. saeculo totius nomi administrationi praefectus erat [2]). Eodem pertinet quod *βασιλικοῦ γραμματέως, τοπογραμματέως, κωμογραμματέως* munera augebantur, item quod horum magistratuum in papyris, scriptis temporibus posterioribus, frequentior est mentio quam in III saeculi papyris. Praeterea pro uno nomarcha, toti nomo praeposito, plures constituti sunt; sic in nomo Arsinoita III iam saeculo certe septem nomarchiae commemorantur [3]).

Rerum progressus quem exposui, indigenarum reiectio est Graecorum commodo. Pro Aegyptio enim, qui initio totius nomi administrationi praeerat, magistratus Graecus nomo praeponitur, cui omnes nomi magistratus rationem reddere debent. Mutatio igitur in Aegypti administratione facta optime congruit cum Lagidarum consilio, quibus semper cordi erat indigenarum incommodo Graecorum commoda augere. Euergetes demum II superiorum regum consilia mutavit; qui *Pap. Tebt.* I, 5 teste, Aegyptiis maxime favebat.

Viri docti Germani comarcham „*Dorfschulze*" appellare solent, Galli autem „*le maire*". Id nullo modo ad II ante C. saeculi

---

1) Titulum Aegyptium huius magistratus ignoramus.

2) Cf. supra p. 9.

3) In *Pap. Petrie* hae *νομαρχίαι* commemorantur: *Νίκωνος, Διογένους, Ἀχοάπιος, Φιλίππου, Μαιμάχου, Ἀριστάρχου, Ὥρου.* Nomen accepisse videntur ex primis nomarchis.

res quadrare vidimus. Neque vero III saec. comarcham eiusmodi locum obtinuisse mihi probatum est. Posteriore demum aetate Romana comarcha princeps omnium incolarum factus est.

Paucis denique agere mihi liceat de opinione a Maspero pronuntiata, qui tria magistratuum genera esse perhibet fisci rationibus per nomum consulentium, scil. (ut ipsius verbis utar) *„administrateurs, fonctionnaires exclusivement financiers et contrôleurs"* [1]). Quorum qui primo loco nominati sunt (inter quos habentur nomarcha, toparcha, comarcha) *βασιλικὴν γῆν* administrantes eatenus fisci res curant quod *βασιλικῶν γεωργῶν* tributa exigunt. *„Fonctionnaires exclusivement financiers"* qui dicuntur totius nomi vectigalia exercent et quae pecunia et quae frumento solvenda sunt. Qui tertio loco enumerantur (ut *βασιλικὸς γραμματεύς, τοπογραμματεύς, κωμογραμματεύς*) aliis magistratibus moderantur.

Hoc autem de *κωμογραμματεῖ* numquam valuit qui III ante C. saeculo tantum aberat ut alii magistratui moderaretur ut ipse a comarcha custodiretur, II autem saeculo *κώμης* agros habet administrandos; nec magis de comarcha. Iure igitur Bouché-Leclercq [2]): . . . *et la collaboration des „chefs" et des „scribes" de même ressort ne laisse pas apercevoir aussi nettement que le pense H. Maspero (op. cit. pp. 201, 214) le départ des compétences: l'autorité aux nomarques, toparques, comarques, le contrôle aux basilicogrammates, topogrammates et comogrammates."*

Neque recte autumat Maspero nomarcharum, toparcharum, comarcharum auctoritatem III ante C. saeculo auctam esse [3]). Immo potestatem atque auctoritatem eorum perpetuo inde a Ptolemaeis regnantibus imminutas esse ex fontibus satis apparuit.

---

1) *Les Finances de l'Égvpte* p. 183.

2) *Hist. d. Lag.* III p. 389 annot. 1.

3) *l. l.* pp. 185; 211.

CAPUT IV.

DE ARCHIPHYLACITA PHYLACITISQUE[1]).

I.

Phylacitae sunt *κώμης* ministri publici, quibus archiphylacita ut nomen indicat praeest.

Archiphylacita II ante C. saeculo nominatus esse videtur a *τῷ ἐπὶ τῶν προσόδων*, qui tunc temporis vice strategi fisci rebus in nomo praepositus erat[2]). Hermias enim, *ὁ ἐπὶ τῶν προσόδων* nomi Arsinoitae, ab Irenaeo dioeceta per litteras admonetur, ut viros dignos idoneosque *οἰκονόμους* et *ἀρχιφυλακίτας* nominandos curet: . . . . *ἵνα μὲν πρὸς ταῖς προειρημέναις χρείαις* (sc. *οἰκονομίαις* et *ἀρχιφυλακιτείαις*) *εὔθετοι κατασταθῶσιν*[3]). Idem Irenaeus Asclepiadem eodem munere fungentem atque Hermias[4]) sic admonet: *φρόντι[σον ὅ]πως κ[.] . . [. . . .]υ πρὸς ταῖς οἰκονομίαις καὶ ἀρχιφυλακι[τ]είαις προχειρι[σθῶ]σιν ἀξιόλογοι*[5]). Unde archiphylacitae phylacitarumque munera ad tuendas res fisci magis pertinuisse quam ad securitatem publicam apparere videtur, id quod infra demonstrabitur.

---

1) De archiphylacita phylacitisque agunt: Lumbroso, *Recherches sur l'économie politique de l'Égypte* p. 249–251; Bouché-Leclercq, *Hist. d. Lag.* IV p. 56–62.

2) De hoc magistratu cf. supra p. 10.

3) *Pap. Tebt.* I, 27, 44, cf. 38 sq. Hermiam munere *τοῦ ἐπὶ τῶν προσόδων* functum esse apparet ex v. 18; cf. editorum ad hunc versum adnotationem.

4) Cf. vv. 20 et 98.

5) 21 sq.

Editores *Pap. Tebt.* archiphylacitam III ante C. saeculo inferiorem quam II saeculo locum obtinuisse opinantur[1]), magistratuum ordinibus nisi, quos et III et II saeculi papyri praebent. Quarum papyrorum tabellae sequentur, addita *Pap. Lille* I, 3, 70 sqq., postea in lucem edita.

Scriptae III ante C. saeculo.

Petrie Pap. II, 42(a):

Κλέ]ανδρος οἰκο[νό]μοις νομάρ[χαις] βασιλικοῖς γραμματεῦσι φυλακί[ται]ς μυριαρούροις (= *ἀρχιφυλακίταις*? Ed.), *κωμάρχα[ις] κωμογραμματεῦσι χαίρειν.*

Rev. Pap. Col. 37:

Βασιλεὺς Πτολεμαῖος [τοῖς στρ]ατηγοῖς καὶ τοῖ[ς ἱππάρχοις] καὶ τοῖς ἡγεμόσι καὶ τοῖς νομάρχαις καὶ τοῖς τοπάρχαις καὶ τοῖς οἰκονόμοις καὶ τοῖς ἀντιγραφεῦσι καὶ τοῖς βασιλικοῖς γραμματεῦσι καὶ τοῖς Λιβυάρχαις καὶ τοῖς ἀρχιφυλακίταις πᾶσι χαίρειν.

P. Lille I, 3, 70 sqq.:

Ἐντολὴ τοῖς παρὰ Μητροδώρου τοῦ οἰκ[ονόμου καὶ τοῖς κωμάρχαις (vide supra p. 28 annot. 2)] *καὶ τοῖς κωμογραμματεῦσι καὶ ἀρχιφυλακίταις καὶ φυλακ[ίταις.*

Scriptae II ante C. saeculo.

P. Tebt. 6, 12 sqq.:

[Βασιλεὺς Πτολεμαῖος καὶ .] . . [τοῖς στρατη]γοῖς καὶ τοῖς φρουράρχοις καὶ τοῖς [ἐπιστάταις τῶν φυλακιτῶν κ]αὶ ἀρχιφυλακίταις καὶ ἐπιμεληταῖς [καὶ οἰκονόμοις καὶ βασιλικοῖς γ]ραμματεῦσι . . χαίρειν.

P. Tebt. I, 5, 158 sqq.:

. . . τοῖς στρατηγοῖς καὶ ἐπιστάταις τῶν φυ(λακιτῶν) ἢ ἀρχίφυ(λακίταις) ἢ οἰκο(νόμοις) κτλ.

P. Grenfell II, 37:

Ἑρμίας τῶι ἐπιστάτηι Παθύρεως καὶ ἀρχιφυλακίτηι καὶ φυλακίτηι καὶ βασιλικῶι γραμματεῖ καὶ τοπογραμματεῖ καὶ κωμογραμματεῖ καὶ σιτολόγωι κτλ.

P. Leid. G:

Βασιλεὺς Πτολεμαῖος . . . τῶι στρατηγῶι τοῦ Μεμφίτου καὶ τῶι φρουράρχωι καὶ τῶι ἐπιστάτηι τῶν φυλακιτῶν καὶ ἀρχιφυλακίτηι καὶ τῶι ἐπὶ τῶν προσόδων καὶ βασιλικῶι γραμματεῖ κτλ.

---

[1]) Adn. ad I, 6, 13–16.

Unde archiphylacitam II ante C. saeculo re vera locum multo superiorem habuisse videtur quam saeculo III.

Sed hi magistratuum ordines, qui diversarum administrationis provinciarum viros contineant, adhiberi non possunt ut singuli magistratus qua dignitate fuerint definiamus. Quos si sequeremur, archiphylacitam, qui *κώμης* magistratus est, et *ἐπιμελητῇ* et *οἰκονόμῳ* et *βασιλικῷ γραμματεῖ* et *τῷ ἐπὶ τῶν προσόδων*, nomi magistratibus, praepositum fuisse existimare nos oporteret. Hoc tantum II saeculi tabellis demonstrari videtur archiphylacitam subiectum fuisse *τῷ ἐπιστάτῃ τῶν φυλακιτῶν*, qui totius nomi ministris publicis praeerat. Quod praesertim efficias ex *Pap. Grenfell* II, 37; quae cum *φυλακίτην* ante *βασιλικὸν γραμματέα* enumeret, tamen nemo illum huic superiorem fuisse opinabitur.

Eundem igitur locum *ἀρχιφυλακίτης κώμης* et III et II ante C. saeculo obtinuit.

Sed III saeculo praeter eum extat *ἀρχιφυλακίτης τόπου*; quem cum II saeculi papyri silentio transeant, ceteris vero magistratibus, quibus securitas publica mandata est in iisdem papyris saepe commemoratis, tunc eum sublatum fuisse verisimile est.

De archiphylacita *τόπου* edocemur *Pap. Hibeh* I, 34 et 73, quae ad eandem causam pertinent: in illa Antigonus quidam, qui est archiphylacita vel phylacita *κώμης*, regem adit, Patronem, *τὸν [φυλα]κιτε[ύ]οντα τὴν κάτω τοπαρχίαν*[1]), virum a se captum e vinculis abduxisse questus; in hac idem Dorioni, *τῷ ἐπιστάτῃ τῶν φυλακιτῶν τοῦ νομοῦ*, qui ut virum illum caperet imperaverat, excusationes profert, Patronem, *ἀρχιφυλακίτην τῆ[ς κάτω] τοπαρχίας*[2]) accusans.

Magistratus itaque, cui omnes archiphylacitae *κώμης* per totum *τόπον* parent, appellatur: *ὁ ἀρχιφυλακίτης τοῦ τόπου* vel *ὁ φυλακιτεύων τὸν τόπον*.

---

1) Cf. v. 1.
Altera papyrus ex altera suppleta est.
2) Cf. v. 10.

Errant editores *Pap. Hibeh* ex his papyris colligentes: „*at this period* (sc. medio III ante C. saec.) *therefore the ἀρχιφυλακίτης might be much more than a mere village official, which he sometimes certainly was in the second century B. C.*[1]). Sed hac aetate distinguendum est inter *ἀρχιφυλακίτην τόπου* et *ἀρχιφυλακίτην κώμης*[2]).

Potestate a stratego mandata archiphylacitis phylacitisque totius nomi praeest *ὁ ἐπιστάτης τῶν φυλακιτῶν τοῦ . . . νομοῦ*, qui plerumque *ἐπιστάτης τῶν φυλακιτῶν* breviter appellatur[3]).

Ut nomus Arsinoita administrationis causa in tres partes divisus erat, ita securitatis publicae causa in partes quattuor, *μερίδας Ἡρακλείδου, Θεμίστου, Πολέμωνος, τῆς μικρᾶς λίμνης*, quarum cuique praeest *φυλακίτης*, qui appellatur: *φυλακίτης τῆς . . . μερίδος*[4]).

Universo nomo Arsinoitae praeest, ut ceteris nomis, *ἐπιστάτης τῶν φυλακιτῶν*[5]).

Forte accidit ut de salario his magistratibus III saec. praebito certiores fiamus: accipit enim Arsinoitae nomi epistata in singulos

---

1) Annot. ad *Pap. Hibeh* I, 34, 1.

2) Hic voce *κώμης* addita commemoratur in *P. P.* III, 28 (e), Ptolemaeo Philopatore regnante scripta. Editores quidem hanc papyrum Philadelpho rege scriptam esse perhibent, sed iam *Pap. Magdola* 5 et 21 nos docuerunt litteras Diophanis strategi et Moschionis epistatae attribuendas esse Philopatoris aetati. Cf. Paul Meyer, *Klio* VI p. 460, annot. 5.

3) Cf. *Pap. Tebt.* I, 43, 6; *P. P.* III, 128, 2, 11; *Pap. Hibeh* I, 34 sq. cet. Iniuria Jouguetus et Lefebvrius distinguunt inter *ἐπιστάτην τῶν φυλακιτῶν* et *ἐπιστάτην τοῦ νομοῦ* (*Bull. d. Corr. hell.* XXVI p. 97).

Iam patet unum virum utrumque munus *ἐπιστάτου τῶν φυλακιτῶν* et *ἀρχιφυλακίτου* gerere non potuisse. Quare coniecturam editorum *Pap. Hibeh* probare non possum, qui *P. P.* III, 130 (p. 321) ita legendum censent: *Νίκωνι ἐπιστάτηι φυλακιτῶν καὶ ἀρχι[φυλακίτηι*. Potius crediderim legendum esse *ἀρχι-[φυλακιτεύσαντι*.

4) *P. P.* III, 128 (*Rev. Pap.* App. II, 4).

5) Cf. ibidem. Hoc loco admoneam lectionem *Ἡρακλείδηι τῶι ἐν τῶι νομῶι ἀρχιφ*[υ] (i. e. *ἀρχιφυλακίτηι*) – *P. P.* II, 20, II, 10 (p. 62) – recte mutatam esse in *Ἡ. τῶι ἐν τῆι Ηρα*͡ (i. e. *Ἡρακλέους πόλει*) *ἀρχιφ*[υ] – *P. P.* III 36 (b) (p. 76).

menses 300 drachmas, singuli *Πολέμωνος, Θεμίστου, Ἡρακλείδου, τῆς μικρᾶς λίμνης μερίδων φυλακῖται* 80, 50, 40, 30 drachmas accipiunt[1]). Grenfellio consentiamus necesse est existimanti argenteas has esse drachmas[2]); qui compendium *χα|-* non significare *χάλκου δραχμάς* sed *δραχμὰς πρὸς χάλκον* demonstrat[3]); interpretatur autem haec verba *„drachmae on the silver standard paid in copper."*

Inferiorum magistratuum salarium quantum fuerit ignoramus, sed accepisse eos salarium vel inde apparet quod etiam *φυλακῖται ἄμισθοι*[4]) in papyris nobis occurrunt. Extat praeterea papyrus, in qua Zopyrus, *γραμματεὺς τῶν φυλακιτῶν*, mulieri cuidam pecuniae summam pendere iubetur e pecuniis *φυλακιτῶν* mercedi constitutis:

διάγραψον (sc. tu Zopyre) *αὐτῆ[ι ἀπὸ] τοῦ χρηματισθέντος σ[ο]ι ὀψωνίου εἰς τοὺ[ς ἐν τῶι] νομῶι φυλακίτας* [5]).

Pro phylacitarum custodia incolae vectigal solvere debebant, quod appellatur *φυλακιτικόν* [6]), minime mirum id quidem cum paene nulla res fuerit in Aegypto cui vectigal non esset impositum.

Saepe phylacitae propter munera regi praebita agri rudis decem aruras pro mercede accipiebant et hoc modo inter cleruchos recipiebantur [7]).

---

1) *P. P.* III, 128.

2) *Rev. Pap.* p. 189, annot. 4.

3) *Rev. Pap.* App. III p. 196–98.

4) *Pap. Grenf.* I, 38 (corr. II p. 216); libellus est stratego datus *παρὰ Ποκᾶτος τοῦ Ὀνῶτος φιλακείτου ἀμίσθου.* Conferri possunt hi phylacitae ministris publicis apud nostrates quos appellamus *„onbezoldigde veldwachters."*

5) *P. P.* III, 64 (b), 9 sqq. (p. 184) (II, 13, 7). Cf. III, 64 (c), 7 sqq., qua discimus quo munere Zopyrus fungatur, et ibid. 93, Col. VII, 21 sqq. (p. 230): *ἔστιν ὃ δ[εῖ] ὑπολο[γ]ηθῆναι [ἀ]πὸ τῶν ἐκτιθεμένων ὀψωνίων φυλακιτῶν καὶ ἐφόδων κτλ.*

6) In papyris passim commemoratur; cf. *Pap. Hibeh* Praef. ad I, 105; Wilcken, *G. O.* p. 402; Maspero, *Les Finances.*

7) Cf. *Pap. Tebt.* I, 62, 107–114; 83, 40–64; Append. I p. 550 sq.

Vici phylacitarum si satis magnus numerus est, decuriati sunt; singuliis decuriis praeest *δεκανός* [1]).

II.

De archiphylacitae phylacitarumque muneribus.

1. De muneribus ad res fisci pertinentibus.

Archiphylacitae phylacitarumque munera praesertim ad fisci res pertinere supra iam diximus (p. 73/4). Certiores nos de hac re facit *Pap. Tebt.* I, 5, qua continentur et alia Euergetae II iussa et edictum, quo phylacitis rerum ante commissarum venia atque incolumitas his verbis datur:

ἀφιᾶσει (sc. rex et Cleopatra soror et uxor) *δὲ καὶ τοὺς κατὰ τὴν χώραν φυ(λακίτας)*

α. τῶν παραγραφομένων πρὸς τὰς βα(σιλικὰς) ἐπισκοπείας καὶ πρὸς ἃ καταπρόειται γενή(ματα),

β. καὶ τῶν παραδεδομένων αὐτοῖς πρὸς ὀφει(λήματα) καὶ πρὸς ἄλλας αἰτίας καὶ διαπεπρακότων ἕως τοῦ ν (ἔτους) [2]).

Verba sub *α* laudata phylacitis *βασιλικῆς γῆς* (ad quam verba *αἵ βασιλικαὶ ἐπισκοπεῖαι* pertinere constat) eiusque fructuum curam mandatam fuisse demonstrant. Editores iam animum adtenderunt ad *Pap. Tebt.* I, 27 [3]), ubi Irenaeus dioeceta Hermiam *τὸν ἐπὶ τῶν προσόδων γενηματοφύλακας* et phylacitas iureiurando obstringere iubet ut agros fructusque curent:

. . . . *καὶ παρὰ μὲν τούτων* (sc. *γενηματοφυλάκων*) *καὶ τῶν ἐν ἑκάστηι* (sc. *κώμηι*) *φυλ[α]κι[τῶν] λα[β]ὼν χειρογραφίας ὅρκου*

---

1) *Pap. Tebt.* I, 27, 31; 251.

Edd. his locis demonstratum esse admonent vocabulum *δεκανός* derivatum esse a *δέκα*, non a decem (Annot. ad *Pap. Tebt.* I, 27, 31).

2) Vv. 188–192.

3) Annot. ad *Pap. Tebt.* I, 5, 159.

De Papyri Tebt. I, 27 argumento cf. supra pp. 48 sq. et 73 sq.

βασιλικοῦ δισσὰς ἐπὶ τοῦ βελτίστου προστήσεσ[θαι τ]ῆς φυλακῆς κτλ. [1]).

Idem dioeceta iam antea Theodoto, *τῷ πρὸς τῇ οἰκονομίᾳ καὶ ἀρχιφυλακιτείᾳ*, litteras dederat, *δι' ὧν ἐδηλοῦτο ἀναγκαῖον εἶναι μεταπεμφθέντων εἰς κοινὸν συνέδριον τῶν κατὰ κώμην δεκανῶν τῶν φυλακιτῶν ληφθῆναι μετὰ τῆς ἑαυτοῦ γνώμης ἃς ὑπετίθετο χειρογραφίας ὅρκου βασιλικοῦ περὶ τῆς τῶν ἐπετείων γενημάτων τηρήσεως* [2]).

Postremo Asclepiadem quendam admonet: *φρόντι[σον ὅ]πως . . . . πρὸς ταῖς οἰκονομίαις καὶ ἀρχιφυλακι[τ]είαις προχειρι[σθῶ]σιν ἀξιόλογοι, καὶ τῶν κατὰ τὴν τήρησιν τῶν καρπῶν κατὰ τὸν ὑποδεικνύμενον τρόπον οἰκονομηθέντων καὶ τῆς εἰς τὸ βασιλικὸν τῶν καθηκόντων εἰσπράξεως πρωιμώτερον γενηθεί[σης] μηθὲν εἰς ὀφείλημα ἐκπέσηι* [3]), quae verba ita interpretari velim: „vide ut viri digni *οἰκονόμοι* et *ἀρχιφυλακῖται* nominentur, qui fructus tuentes curent ne rex minora quam debita vectigalia accipiat".

Unde archiphylacitae phylacitarumque fuisse fructus tueri apparet.

Quid sibi velint verba illa *τὰ παραγραφόμενα πρὸς τὰς βασιλικὰς ἐπισκοπείας*, explanatur *Pap. Hibeh* I, 75, ubi Theodorus [4]) quidam phylacitis *κώμης* Talais imperat ut *κωμογραμματεῖ* adiuvante praedium quod locatum est, emetiantur. Addit Theodorus se ab ipsis rationem exacturum esse: *ὡς πρὸς ὑμᾶς* (sc. *φυλακίτας*) *τοῦ λόγου ἐσομένου.*

---

1) *Pap. Tebt.* I, 27, 52–54.
Mente supplendum esse *φυλακῆς* (sc. *γῆς*) ex iis quae antecedunt, satis apparet.

2) *Pap. Tebt.* I, 27, 29–34.
Exordium epistolae Hermiae datae (vv. 27 sqq.) non est perspicuum, praesertim cum subiecto careat. Obscuritas fortasse attribuenda est Menchis neglegentiae, qui exemplar parum manifestum descripserit. Legere malim: *δι' ὧν ἐδήλου* (sc. *ὁ διοικητής*) *τὸ ἀναγκαῖον εἶναι κτλ.* – Verba *μετὰ τῆς ἑαυτοῦ γνώμης* ad dioecetam potius quam ad Theodotum pertinere crediderim.

3) Ibidem 21–26.

4) Quemnam magistratum hic obtineat non constat. Non est cur editoribus consentientes putemus *ἀρχιφυλακίτην* aut *ἐπιστάτην τῶν φυλακιτῶν* eum fuisse.

Igitur non est cur miremur quod archiphylacita et publicis *βασιλικῆς γῆς* conductionibus adest [1]) et iudiciis ad praedia fiscalia pertinentibus adsedet [2]).

Verba sub *β* laudata demonstrant phylacitis iniunctum fuisse ut pecunias residuas exigerent aliasque pecunias, quae continentur verbis *τὰ παραδεδομένα πρὸς ἄλλας αἰτίας*.

Vectigalia Aegyptia partim exigi solere a magistratibus, partim locari conductoribus supra iam exposuimus [3]); qui conductores ab *οἰκονόμῳ* eiusque scriba (*ἀντιγραφεῖ*) custodiebantur [4]). Praeterea, teste *Rev. Papyro* [5]), vectigalia residua multaeque non a conductore sed ab oeconomo exigebantur, qui, ut consentaneum est, in singulis vicis hoc munus aliis mandare solebat. Sed cum antea ignorabatur quibus id impositum fuerit [6]), hanc rem nova luce illustrare videtur nostra papyrus (*Tebt.* I, 5, 188 sqq.), unde archiphylacitae phylacitarumque, quippe qui oeconomo subiecti essent [7]), fuisse apparet pecunias residuas exigere.

---

1) *Actenstücke* II, 15.

2) *Pap. Grenfell* I, 11. De causa ipsa cf. papyri praefationem; praeterea Naber, *Archiv* II p. 38 sqq.; Mitteis, *Romanistische Papyrusstudiën* (*Zeitschr. der Savigny-Stiftung für Rechtsgesch.* XXIII (1902) p. 274 sqq.). – Possessor praedium ex *βασιλικῆς γῆς* conduxisse videtur: *ἐφαίνετο τὸν Πανᾶιν κυρίως ἔχειν τὴν γῆν καθ' ἣν ἐώνητο ἐκ τοῦ βασιλικοῦ* ⟨. . . . . .⟩ *διαγραφήν* (Col. II, 28).

3) P. 21 sqq.

4) Cf. Wilcken, *Die Steuererhebung in der Ptolemaeërzeit* (*G. O.* p. 555 sqq.).

5) Col. 18, 17; 19, 11; 22,5; 31, 14; cf. Wilcken *l. l.* p. 562 sq.

6) Cf. Wilcken, *G. O.* p. 567, ubi legimus: „*Ueber die Zwangsmittel, die dem Erheber zu Gebote standen, sind wir nur unvollständig unterrichtet.*"

7) Supra (p. 73) archiphylacitam *τῷ ἐπὶ τῶν προσόδων* subiectum fuisse exposuimus; unde oeconomo quoque subiectum eum fuisse apparet.

Cf. *P. P.* II, 20 (corr. III p. 76), ubi oeconomus archiphylacitam captos quosdam e vinculis abducere iubet. – Iniuria edd. *Pap. Tebt.* (in adnot. ad I, 5, 159) et Bouché-Leclercq (*Hist. d. Lag.* IV p. 61 – *ils* (sc. *ἀρχιφυλακῖται*) *sont les auxiliaires et parfois les suppléants de l'économe*) opinari mihi videntur munera *οἰκονόμου* et *ἀρχιφυλακίτου* simul ab uno viro geri potuisse. Oecono-

Quibus non solutis eos debitorem cepisse *Pap. Tebt.* I, 156 demonstrare videtur, ubi duo viri praedes sunt pro Alcimo quodam: *ὁμολογοῦμεν π[α]ρει[λ]ηφέναι διὰ σοῦ* (sc. *ἀρχιφυλακίτου*) *Ἄλκιμον Ἁρφάσιος . . . . καὶ ἡμέραις αἷς παραγγείλῃς ἡμῖν παρασ[τῆσ]αι τὸν προγεγραμμένον Ἄλ[κιμ]ον ἐν ἡμέραις πέντε κομισαμένου δ . . . . ν κτλ.*

Verba *τὰ παραδεδομένα πρὸς ἄλλας αἰτίας* praesertim pertinere ad multas, phylacitis solutas, verisimile est.

Opponet fortasse quispiam aetate Ptolemaeorum *πράκτορσιν* mandatum fuisse ut pecunias residuas multasque exigerent; sed nihil obstat, quominus putemus phylacitas *πράκτορος* ministros fuisse, qui superiorem locum obtinebat [1]).

Iam perspicuum est quare rex etiam archiphylacitas nominet inter magistratus vectigalia exigere iussos:

μηθένα δὲ λογεύειν μηθὲν παρὰ τῶν γεω(ργῶν) καὶ τῶν ὑποτελῶν καὶ τῶν ἐπιπεπλεγμένων ταῖς προσόδοις καὶ μελισσουργῶν καὶ τῶν ἄλλων ὥστε τοῖς στρατηγοῖς καὶ ἐπιστάταις τῶν φυ(λακιτῶν) καὶ ἀρχιφυ(λακίταις) ἢ οἰκο(νόμοις) ἢ τοῖς παρ' αὐτῶν κτλ. [2]).

Phylacitae autem sunt *οἱ παρὰ τοῦ ἀρχιφυλακίτου.*

Superest ut regiae mensae, quae erat Diospoli Magna, praepositum *ἐγκυκλίου* [3]) 200 drachmas accepisse commemorem *κατὰ τὴν παρὰ Πρωτάρχου τοῦ ἀρχιφυλακίτου διαγραφὴν* [4]) *ὑφ' ἣν ὑπογράφει Ἀρνοῦφις ὁ τοπογραμματεύς* [5]).

---

mus enim nomi, archiphylacita vero vici magistratus est. Sed nihil obstat quominus existimemus munera archiphylacitae et *τοῦ παρὰ τοῦ οἰκονόμου* (de hoc magistratu cf. *Pap. Grenf.* II, 37 et *Pap. Lille* I, I, 3, 71.) interdum ab uno viro gesta esse.

1) Cf. Wilcken, *G. O.* p. 565 annot. 2; *Pap. Elephantine* p. 34.

2) *Pap. Tebt.* I, 5, 155–160.

3) De hoc vectigali cf. Wilcken, *G. O.* p. 182 sqq.

4) De huius verbi significatione cf. supra p. 41, annot. 4.

5) *Pap. Brit. Mus.* III p. 2.

Iure editor adnotat: *„it is new to find this officer* (sc. archiphyl.), *the head of the village police, authorizing the payment of taxes into the official bank."*

Quam ob rem hic archiphylacita *διαγραφήν* dederit neque, ut fieri solet, vectigalis (*ἐγκυκλίου*) conductor, non apparet. Utique manifestum fit archiphylacitam varia munera habuisse ad res fisci pertinentia [1]).

2. De muneribus ad disciplinam securitatemque publicam pertinentibus.

Quod attinet ad officii partem, de qua hucusque egimus, archiphylacita phylacitaeque subiecti sunt *τῷ ἐπὶ τῶν προσόδων*; iisdem vero, ministrorum publicorum muneribus fungentibus, praeest et *ἐπιστάτης τῶν φυλακιτῶν τοῦ νομοῦ* et *ἐπιστάτης κώμης*, de quo in capite sequenti agemus.

Phylacitis publicae securitatis ac disciplinae curam mandatam fuisse, id quod iam Lumbrosio expertum [2]), papyri docent, quarum nonnulla exempla afferre mihi liceat:

Euphronius, qui *οἰκονόμος* esse videtur, ad Milonem, *πράκτορα τῶν ἱερῶν*, refert se phylacitam iussisse viros, qui Milonem vexaverint, in vincula conicere [3]).

Mulieres duae vineam custodientes nocte a praedatoribus opprimuntur: postero die phylacitas arcessunt [4]).

Agricolae duo, qui pastorem deprehendunt gregem in agro crotone sato pascentem, phylacitis eum tradunt [5]).

Heracleopoli archiphylacita quosdam fabros navales qui urbem transeunt, capit; cur id fecerit, non apparet [6]).

---

1) In *Pap. Hibeh* I, 110, 45 et 49 pecuniae quaedam phylacitae solvuntur, sed utrum de re privata an publica agatur non apparet.

2) *Recherches* p. 249 sqq.

3) *Pap. Elephantine* 12 (cf. p. 35).

4) *P. P.* III, 28 (e).

5) *P. P.* III p. 70 (b) (II, 32 (2 b)). – Ceterae papyri, aetate Ptolemaeorum scriptae, in quibus phylacitae securitatem publicam tuentur, sunt: *Pap. Lille* I, I, 3, 55–60; ibid. 7; *P. P.* II, 32, (2*a*); *Pap. Hibeh* I, 36; 37; 144; 167; *Pap. Reinach* 17.

6) *P. P.* II, 20 (corr. III p. 76).

In causa ab Hermia quodam choachytis[1]) illata, quod domum sibi eripuerint, illius commentarius pronuntiatur, ubi sic legitur: . . . *συνέταξεν* (sc. *Ἑρμίας ὁ στρατηγός*) *Ἑρμογένει τῶι τότε ἀρχιφυλακίτηι παραδοῦναί μοι τὴν οἰκίαν.*

Archiphylacita igitur Hermiae domum reddere iubetur[2]).

Haec exempla sufficiant[3]).

Querellas quoque ad archiphylacitam phylacitasque deferri posse manifestum est, quas III ante C. saeculo *προσαγγελμάτων* formam habuisse videmus. Sic Satocus quidam scribit:

προσαγγέλλει Ἁρμιύσι φυλακίτηι Ταλέους Σάτοκος ἀπολωλεκέναι ἐκ τῆς αὐλῆς νυκτὸς πρόβατον θῆλυ δασὺ Ἀράβιον ἄξιον (δραχμῶν) η[4]).

Phylacitae est furem conquirere; quo reperto petitorem causam per *ἔντευξιν* ad iudices competentes deferre verisimile est.

II ante C. saeculo libelli archiphylacitae oblati, *ὑπομνήματος* forma concipiebantur[5]). Sic comarcha et *βασιλικοί* quidam *γεωργοί* vici Cerceosiridis archiphylacitam adeuntes quod *τοπογραμματεύς* Marres aliis adiuvantibus in vicum irruperit, ita scribunt: *διὸ ἐπιδίδομέν σοι τὸ ὑπόμνημα ὅπως ὑποτάξῃς οἷς καθήκει, ἵνα κτλ.*[6]).

Cleruchus Lybicus vici Circae libello adit *Νικάνορα καὶ τοὺς συ[νφ]υλακίτας*[7]), questus nonnullos viros, irruptione in domum facta, complures res sibi surripuisse. Petitionis verba haec sunt:

---

1) Sunt sacerdotes Aegyptii inferiores, quibns iniunctum est ut mortuorum corpora conservent mortuisque immolent.

2) *Pap. Paris.* 15.

3) Cf. praeterea *P. P.* III, 28 (e); *Pap. Magd.* 19; 33; *Pap. Tebt.* I, 38; 40; 138; 156; 230.

4) *Pap. Hibeh* I, 36, cf. 37 et 144. *P. P.* III, 28 (e).

5) Cf. supra p. 51/2.

6) *Pap. Tebt.* I, 41.

Petitores propterea adiisse videntur archiphylacitam, nec, ut in ceteris *Pap. Tebt.* libellis, *κωμογραμματέα*, quod hac in causa *τοπογραμματεύς*, *κωμογραμματεῖ* praepositus, reus est.

7) Wilckenius legere malit: *σὺν ἃ (*i. e. *αὐτῶι) φυλακίταις* (*Archiv* III p. 525).

ἐπιδίδωμι ὑμῖν τὴν προσαγγελίαν ὅπως οἱ αἴτιοι ἀναζητηθέντες ἐξαποσταλῶσι ἐπὶ τὸν στρατηγὸν, καὶ ἐμοὶ μὲν ⟨*τὰ*⟩[1] *διαπεφωνημένα ἀποκατασταθείη, οἱ δὲ αἴτιοι τύχωσι τῶν ἐξακολουθούντων*[2].

Magna quae erant in Aegypto templa phylacitarum praesidio munita fuisse non est quod miremur; templa enim, quippe quae ab hominibus religiosis celebrarentur, etiam loca erant quo vilissimus quisque venire solebat. Sed inter phylacitas et sacerdotes rixas quoque nonnumquam fuisse legimus. Sic Onnophris sacerdos Arembasnem et Pachratem fratres, *φυλ]ακίτας ἐκ τοῦ ἐμ [Μέμφ]ει Ἀφροδισίου*[3], accusat quod loca interdicta ingressi se vexaverint. Item *Pap. Paris.* 35 et 37 libellos a Ptolemaeo quodam regi et stratego hanc ob causam oblatos continent, quod *ἀρχιφυλακίτης ἐν τῶι Ἀνουβιείωι*[4] templum, causa interposita arma ibi occultata esse, irruperit, Amosi, *τῷ παρὰ τοῦ ἀρχιερέως*, et phylacitis nonnullis adiuvantibus.

Paucis hoc loco agamus de ceteris *κώμης* ministris publicis. Ex *Pap. Tebt.* inter Cerceosiridis vici cleruchos praeter tres phylacitas tres *ἐρημοφύλακας*[5], duos *ἐφόδους*[5], unum *χερσέφιππον*[6] fuisse discimus. Ubi alios etiam ministros publicos fuisse in cleruchorum numero non relatos certum est. De eorum muneribus papyri nihil docent, sed nomina demonstrant *ἐρημοφύλαξιν* et *χερσεφίπποις* iniunctum fuisse ut loca inculta desertaque, quae circa vicum erant, custodirent, hi equo insidentes, illi pedibus euntes. *Χερσέφιπποι* conferri possunt cum ministris publicis quos nos appellamus „*marechaussée*". Quae *ἐφόδων* munera fuerint ex papyris non

---

1) Ita Wilckenius supplet (Archiv *l. l.*).

2) *Pap. Reinach* 17.

3) *Pap. Paris.* 11, 21.

4) V. 6.

5) Cf. *Pap. Tebt.* Indicem V.

6) Cf. ibidem Indicem VI.

apparet; praeest iis ἀρχέφοδος[1]). Aetate Romana quamquam ἔφοδοι esse desinant, ἀρχέφοδος in archiphylacitae locum succedit.

Haec cognita habemus de ministris quibus securitatis disciplinaeque publicae cura mandata est. Nescio an huius provinciae ordinatio Ptolemaeo Philadelpho attribuenda sit, quem Theocrito auctore[2]) illas res moderatum esse novimus.

---

1) *Pap. Tebt.* I, 90. Praef.
2) Idyll. 15, 46–50.

CAPUT V.

DE EPISTATA [1]).

Epistata vici [2]) magistratibus praeest quibus securitas dîsciplinaque publica mandata est.

Cuius munera ab archiphylacitae muneribus ea re differunt quod hic *φυλακίταις* tantum praeest (lingua belgica *„chef-veldwachter"*), ille omnibus magistratibus ad quos securitas publica pertinet [3]). Saepe vero altero munere vacante utrumque ab eodem viro geritur [4]): sic Demetrius quidam anno ante C. 118 appellatur *διεξάγων τὰ κατὰ τὴν ἐπιστατείαν καὶ ἀρχιφυλακιτείαν* vici Cerceosiridis [5]), anno autem praecedente 117 epistata tantum est, cum Nicanor quidam archiphylacitae munere fungitur [6]).

---

1) De epistata agunt:
Lumbroso, *Recherches* p. 252.
Jouguet et Lefebvre, *Bull. d. Corr. Hell.* XXVI p. 97 sq.
Rafael Taubenschlag, *Archiv* IV p. 35–38.
Bouché-Leclercq, *Hist. d. Lag.* (cf. Index général p. 374).
Praecipue vero: Paul M. Meyer, *Klio* VI p. 459 sqq.; VII p. 290.

2) In *Pap. Tebt.* I, 133 verso petitio est, data Agatharcho, epistatae duorum vicorum Cerceosiridis et Theogonidis; sed aliquamdiu tantum utriusque vici *ἐπιστατείαν* ille gessisse videtur; cf. eiusdem papyri partem rectam.

3) In nostris vicis munus epistatae mandatum est magistratui quem appellamus *„burgemeester"*.
Epistatam archiphylacitae superiorem fuisse lucide apparet ex *B. G. U.* 1012, quae est querella epistatae de archiphylacita data.

4) *Pap. Tebt.* I, 230.

5) Ibid. 43, 9.

6) Ibid. 40.

Epistata qui principem inter *κώμης* magistratus locum obtinet[1], graeca semper origine est, cum ceteri *κώμης* magistratus ab indigenis geruntur; quod consentaneum est consiliis quae Ptolemaei in civitate administranda semper habuerunt.

Hos habemus *κώμης* Cerceosiridis epistatas ex papyris notos:

anno	ante	C.	120	epistata	erat	Heraclides[2]
„	„	„	118/17	„	„	Demetrius[3]
„	„	„	114	„	„	Polemo[4]
„	„	„	113	„	„	Apollonius[5]
„	„	„	?	„	„	Agatharchus[6].

Unde *ἐπιστατείαν* annuam aut biennem fuisse colligi potest. Ut biennem eam fuisse credamus suadet quod Moschion quidam Oxyrynchi vici epistata fuit et anno 25 Euergetae (ante C. n. 223)[7] et anno 1 Philopatoris (ante C. n. 222/1)[8].

Duo praecipue epistatae munera distinguenda sunt:

1. munera ad disciplinam publicam pertinentia.
2. munera pacis arbitri, ut ita dicam.

De epistatae muneribus ad disciplinam publicam pertinentibus.

Epistatae malefici, a phylacitis aliisve magistratibus deprehensi, traduntur, quos in metropolin ad strategum transferendos curat. Sic Menches in epistola, Ptolemaeo stratego data, virum quem deprehendisset in aggeribus effodiendis occupatum, epistatae se

---

1) Cf. *Pap. Tebt.* I, 40: *ἀξιῶ συντάξαι γράψαι Δημητρίωι τῶι τῆς κώμης ἐπιστάτει καὶ Νικάνορι ἀρχιφυλακίτει καὶ Μεγχεῖ κωμογραμματεῖ καὶ τοῖς πρεσβυτέροις τῶν γεωργῶν κτλ.*

2) *Pap. Tebt.* I, 61*b*, 286.

3) Ibid. 43; 40.

4) Ibid. 13; 15; 39.

5) Ibid. 38.

6) Ibid. 133.

7) *P. P.* II, 2, (2).

8) *Pap. Magd.* 21.

tradidisse refert ut ad strategum mitteretur: . . . . *πάραυτα δὲ συμψήσαντες ἀπὸ τῶν προγεγρ(αμμένων) ἕνα . . . . ἐπεδώκαμεν Πολέμωνι τῶι διεξάγοντι τὰ κατ[ὰ τ]ὴν ἐπισ(τατείαν) τ[ῆς κ]ώ(μης) . . . . καταστῆ(σαι) ἐπὶ σέ* (sc. strategum) [1].

Porro *φυλακίτης* quidam *ἄμισθος*, a sacerdote quodam vexatus, strategum per litteras adit ut illum sibi mitti epistatam jubeat: *διὸ ἀξιῶ ἐὰν φαίνηται συντάξαι γράψαι Κλεάρχωι τῶι ἐπι[σ]τάτηι ἐξαποστεῖλαι αὐτὸν* (sc. sacerdotem) *ἐπί σε* (sc. strategum), *ἵν' ἐὰν γράφω ἀληθῆ, [τύχω] τοῦ δι[καίου] κα[θ]ὼς ἂν διαλ[ά]βῃς* [2].

Neque aliter rem se habere III ante C. saeculo, *P. P.* III, p. 70 (b) [3]) docet, cuius petitio sic est: *ἀξιοῦμεν οὖν σε* (sc. oeconomum) *γράψαι Ποσειδωνίωι τῶι στρατηγῶι ἐπιστεῖλαι τῶι ἐν Περσέαι ἐπιστάτηι ἀναπέμψαι Καλλίφοντα* [4].

Sed epistatam ipsum quoque alios magistratus et ministros publicos adiuvare in maleficis conquirendis et incolarum iure tuendo et per se patet et papyris cum III tum II ante C. saeculi demonstratur. Sic epistatae Petosiris *ἀρχιερεύς ὑπόμνημα* dat, sibi anulum surreptum esse questus; petit ab epistata ut causa cognita rem ad strategum referat [5].

Item epistatam sibi adsumit olei monopolii conductor, virum deprehendere cupiens, qui oleum peregrinum clam vendit [6]. Alius conductor a *βασιλικῷ γραμματεῖ* petit ut epistatam, archiphylacitam, *κωμογραμματέα, πρεσβυτέρους τῶν γεωργῶν* sibi in munere gerendo patrocinari iubeat [7].

Huc me iudice pertinet quoque *Pap. Reinach* 18: *βασιλικός* quidam *γεωργός* ab aliquo frumentum mutuatus die constituto id

---

1) *Pap. Tebt.* I; 13, cf. ibid. 38, 6.

2) *Pap. Grenfell* II, 38.

3) II, 32, (2*b*).

4) Cf. *Pap. Amherst* II, 35 neque minus *Pap. Magdola*, in quibus a rege petitur ut strategus reum per epistatam ad se mitti jubeatur.

5) *Pap. Hibeh* I, 72, 4 sqq. (scripta anno ante C. 241/40).

6) *Pap. Tebt.* I, 38, 10 sqq. (scripta anno ante C. 113).

7) Ibid. 40.

se restiturum promittit. Creditor vero pactum non curans in debitorem, in agro conserendo occupatum, saepius invadit *παρὰ τὰ περὶ . . . . τῶν γεωργῶν* (sc. *βασιλικῶν*) *δ[ιὰ] πλειόνων προστεταγμένα* (v. 20 sqq.). Qui nisus iussis ad *βασιλικοὺς γεωργούς* solos pertinentibus a stratego petit: primo ut epistatam iubeat creditorem prohibere quominus sibi (sc. petitori) molestias exhibeat, deinde ut post messem demum factam litem creditori intendere sibi liceat. *Βασιλικός* igitur *γεωργός* a stratego petit ut sua iura tuetur nec recte Taubenschlagius eum petivisse putat *„um durch einstweilige Verfügung ins Privatrecht einzugreifen"* [1]); id quod etiam manifestum fit ex strategi subscriptione: *Βίαντι* (i. e. *ἐπιστάτῃ*)· *ε[ἴ ἐσ]τι βασιλικὸς γεωργός, [πρ]ονοηθῆναι ὡς ἀπερίσπ[αστο]ς κατασταθήσεται μέχρι [ἂν ἀπὸ] τοῦ σπόρου γένηται.*

Ut *κωμογραμματεῖ* [2]) et archiphylacitae [3]) ita epistatae quoque II ante C. saeculo libelli dari possunt, *ὑπομνήματος* forma concepti, quibus petitor magistratum rogat ut rem suam deferat ad iudices *οἷς καθήκει*. Talis libellus esse videtur *Pap. Tebt.* I, 52, cuius extrema pars periit. Praeterea Apollodorus ille, olei monopolii conductor Cerceosiride, in libello Menchi dato, antea iam Polemonem epistatam libello adiisse se dicit: *τυγχάνωι καὶ πρότερον ἐπιδεδωκὼς Πολέμωνι τῶι τῆς κώμης ἐπιστάτει περὶ τοῦ προσπεσόντος μοι τῆι κζ τοῦ Φαῶφι εἶναι ἐν τῆι Σισόιτος τοῦ Σεναπύγχιος οἰκίαι . . . ἐλαικὸν ἐπίτιμον* [4]).

2. *De epistata pacis arbitro* [5]).

In capite quod agit de *κωμογραμματεῖ*, quae III ante C. saeculo

1) *Archiv* IV p. 23.

2) Cf. supra p. 52 sqq.

3) Cf. supra p. 83.

4) *Pap. Tebt.* I, 39, 4 sqq.

Cf. *B. G. U.* 1012, quae est querella epistatae data, cuius petitio est: *[ἀξι]ῶι . . . . ὑποτά[ξαι] μου τὸ ὑπ[ό]μνημα Πτολεμαίωι τῶι ἀρχισωματοφύλακι καὶ στρατηγῶι, [ἵνα] τύχω τῶν δικαί[ω]ν.*

5) Quamquam hanc rem modo egregio iam absolverunt Paul M. Meyer

epistatae in re iudiciaria partes fuerint exposuimus. Hac de re praesertim edocti sumus *Papyris Magdola*, quae paucis exceptis *ἐντεύξεις* sunt, *εἰς τὸ τοῦ βασιλέως ὄνομα* stratego datae, quibus petitor quadam iniuria affectum se esse questus a rege petit ut strategum iubeat adversarii nomen recipere. *Ἐντεύξεων* autem petitiones duobus modis conceptae sunt: a rege petitur ut strategum iubeat scribere epistatae ut re cognita *διάλυσιν* facere conetur[1]) aut reum ad se (strategum) mittat[2]).

Utriusque vero generis *ἐντεύξεις* eundem habent effectum; strategus enim *ἐντεύξεις* subscriptione instruere solet, quae his aut similibus verbis concepta est:

Μενάνδρωι (i. e. *ἐπιστάτηι*)· *μά(λιστα) δι(άλυσον)*[3]) *αὐτούς; εἰ δὲ μὴ ἀπό(στειλον) Διογένην* (i. e. reum) *ὅπ(ως) ἐπὶ τοῦ καθήκοντος κριτηρίου διακριθῆι*[4]).

Iubetur igitur epistata operam dare ut litem componat; quod si frustra fuerit eum reum ad strategum mittere oportet, qui rem ad iudices competentes deferat.

Epistatam non iudicem esse, sed tamquam pacis arbitrum agere ex illa subscriptione lucide apparet[5]).

(*Klio* l. l.), Wilcken (*Archiv* IV p. 48 sqq.) aliique, tamen, ne quid desit, sequentia omittere nolui.

1) Talis est petio *Pap. Magd.* 2: *δέομαι οὖν σου βασιλεῦ προστάξαι Διοφανεῖ τῶι στρατηγῶι γράψαι Μενάνδρωι τῶι ἐπιστάτηι, ἐὰν φαίνηται ὢν ὁ τοῖχος ἡμέτερος, μὴ ἐπιτρέπειν τῶι Ποώρει* (i. e. reo) *κωλύσειν ἡμᾶς οἰκοδομεῖν, ἵνα κτλ.* Eodem modo conceptae sunt *Pap. Magd.* 4, 8 (?), 13, 17, 20, 23, 29, 40.

2) Cf. *Pap. Magd.* 1, cuius petitio est: *δέομαι οὖν σου βασιλεῦ προστάξαι Διοφανεῖ τῶι στρατηγῶι γράψαι Μενέλλαι τῶι ἐπιστάτηι ἀποστεῖλαι αὐτοὺς* (sc. reos) *διακριθησομένους. καὶ ἐὰν ἧι ἃ γράφω ἀληθῆ, πραχθῆι μοι κτλ.*

Eadem forma conceptae sunt *Pap. Magd.* 3, 7, 10, 12, 16, 18, 21, 22, 24, 25, 27, 28, 30, 33, 34, 35, 39, 41 et illa papyrus, quae est edita in *Mélanges Nicole* p. 282.

3) Iniuria edd. legunt *(συν)δι(άλυσον)*, cf. Wilcken, *Archiv* IV p. 48 sqq., Paul Meyer, *Klio* VII p. 290 annot. 1.

4) *Pap. Magd.* 18.

5) Cf. inprimis *Pap. Magd.* 20 et 23, ubi haec verba petitioni addita sunt:

Extant tamen papyri tres (*Pap. Magd.* 4. 25. 34) quibus epistatam iudicem quoque interdum fuisse videri possit. At in prima (n. 4) id quo editores *τὴν ὑπογραφήν* suppleverunt *(Διοσκορίδει* (i. e. *ἐπιστάτηι*), *ἐ(ὰν) φ(αί)ν(ηται)*, *ὅπ(ως)* [*τ*]*ιμὴ γί(νηται) κλ*[*ηρού*]*χωι*[1])) arbitrarium est praestatque tam incertis supplementis pro testimonio non uti; in secunda vero et tertia (n. 25 et 34), quae hac subscriptione instructa sunt: *Τῶι δεῖνι ἐπ(ιστάτηι)· δι(άλυσον) ὅπ(ω)ς τῶν δικαίων τύχηι* (sc. petitor), quid haec verba significent apparet ex P. P. II, 2 (2), ubi legimus:

Μοσχίων (i. e. *ἐπιστάτης*) *Διοφάνει* (i. e. stratego) *χαίρειν· ἐκόμισέν μοι Δωρίμαχος* (i. e. petitor) *ἔντευξιν κεχρηματισμένην*[2]) *κατὰ Διονυσίου ἐν ἧι ὑπεγέγραπτο φροντίσαι ὅπως τῶν δικαίων τύχηι· ἀνακαλεσάμενος οὖν τὸν Διονύσιον ἐπανέγνων αὐτῶι τὴν ἔντευξιν καὶ ἐκέλευον τὰ δίκαια τῶι Δωριμάχωι ποιῆσαι· ἀντιλέγοντος δὲ τοῦ Διονυσίου*[3]) *μηθὲν ἔχειν τῶν διὰ τῆς ἐντεύξεως ἐγκεκλημένων ἀπέσταλκα αὐτὸν* (sc. Dionysium reum) *πρός σε τῆι ς̄ τοῦ Φαρμοῦθι.*

Res igitur ita sese habet: Dorimachus litem intendere cupiens Dionysio *ἔντευξιν εἰς τὸ τοῦ βασιλέως ὄνομα* stratego dedit, qui eam hac subscriptione instruxit: *Μοσχίωνι ἐπ(ιστάτηι)· φρόν(τισον) ὅπ(ως) τῶν δικαίων τύχηι.* Petitor autem *ἔντευξιν*

ε[*ἰ δὲ μὴ*] (i. e. si *διάλυσις* non fit) [*ἀποστεῖλαι αὐτοὺς*] (sc. reos) [*διακριθη*]*σομένους μοι, ἵνα κτλ.*

et

ἐὰν δέ τι ἀντιλέγηι (sc. se pecuniam accepisse) *ἀποστεῖλαι αὐτὴν* (sc. ream) *ἐπὶ Διο*[*φάνην τ*]*ὸν στρατηγὸν, ὅπως κτλ.* Rea contradicente epistata suo Marte nihil amplius facere potest.

1) Hoc supplementum si recte se habet, subscriptio conferri potest cum formula, quam praetor Romanus iudici dare solebat. Sed cf. Wilcken (*Archiv* IV p. 48), qui subscriptionem ita legit: *Διοσκορίδει ἐπ(ιστάτηι). Φ⟨ρ⟩όν(τισον) ὅπως τῶν δικαί*[*ων τ*]*ύχηι.*

2) I. e. *ἔντευξις* quam strategus *ὑπογραφῇ* instruxit; cf. Meyer in *Klio* VI p. 424 et libros ibi laudatos.

3) Cf. p. 90 annot. 5.

subscriptione instructam epistatae dat, qui tamen rem non iudicat sed litigantes placare frustra conatus reum ad strategum remittit[1]). Ergo cum Meyero sic concludendum: epistata numquam iudex est, sed causas sibi delatas cognoscit tantum litigantesque placare conatur; quod si ei non contigit reum ad strategum mittit qui eius nomen recipit.

Hucusque de muneribus arbitrariis egimus quae stratego iubente epistata curabat. Sed ipsum quoque incolae adire poterant ut in causa quadam arbitrium daret. Sic cleruchus quidam Thracicus a stratego petit ut matris dos, quam maritus retineat, sibi restituatur; *ὑπὲρ ὧν*, ita pergit, *καὶ ὁμοί[ως] ἐνέτυχον ἤδη ἐπὶ Νικάνορος τοῦ ἐπιστάτου τῆς κώμης*[2]). Apparet epistatae conatus frustra fuisse; quare petitor nunc *ὑπομνήματι* strategum adit[3]).

Postremo de nonnullis epistatae muneribus peculiaribus raptim disserendum est.

Fortasse ei impositum erat ut myrrham (cuius monopolium regis est) in vico suo venderet. *Pap.* enim *Tebt.* I, 35 mandatum est *τοῖς ἐπιστάταις καὶ τοῖς ἄλλοις τοῖς ἐπὶ χρειῶν τεταγμένοις* ne myrrhae minam pluris vendant quam 40 drachmis argenteis[4]).

Ceterum mihi non persuasum est hic agi de *ἐπιστάταις κώμης;* fieri potest ut viris nonnullis, quibus *ἐπιστάτης* praeesset, iniunctum esset ut venderent myrrham aliasque merces quarum rex mono-

---

1) Contra *Pap. Magd.* n. 33 *ὑπογραφή* est: *Σίμωνι* (i. e. *ἐπιστάτηι*)· *ἀπόστειλον τὸν ἐνκαλούμενον.* An re vera hac in causa epistata reum ad strategum mittere oportuerit antequam *διάλυσιν* facere conatus esset, nil est quod diiudicem.

2) *Pap. Paris.* 13.

3) Cf. Taubenschlag (*Archiv* IV p. 37 sq.), qui praeterea laudat *Pap. Leid.* A et *Pap. Magd.* 12.

4) Cf. supra p. 30.

polium habebat; quam coniecturam confirmare mihi videtur, quod *κωμογραμματεύς*, qui auctoritate epistatae inferior est, *προγράμματι*, quod palam proponendum est, subscribere debet.

Epistata publicis *βασιλικῆς γῆς* locationibus interdum adest [1]) et fieri potest ut alia quoque munera, quorum in papyris mentio non fit, ei imposita fuerint.

---

1) *Actenstücke* II, 15.

INDEX PAPYRORUM QUAE HAC IN DISSERTATIONE ADHIBITAE SUNT.

THESES.

I.

II ante C. saeculo *κωμογραμματεύς* in *κώμῃ* Aegyptia regis, comarcha vero una cum *πρεσβυτέροις βασιλικῶν γεωργῶν* rebus consulit.

II.

Inde a Ptolemaeis regnantibus nomarchae Aegyptii munera paulatim in strategum Graecum translata sunt; quocum proxime cohaeret et comarchae potestas diminuta et *κωμογραμματέως* potestas aucta.

III.

Iniuria edd. *Pap. Tebt.* (Adn. ad I, 5, 159, p. 47) munera *οἰκονόμου* et *ἀρχιφυλακίτου* ab uno viro geri potuisse opinantur.

IV.

Disciplina papyrologica historiae antiquae cognitionem magnopere adiutura est.

V.

Mommsenus (*R. G.* V, p. 559) de Lagidarum regni administratione nimis benevole iudicat.

VI.

Tibullus (I, 7, 1–28) M. Valerii Messallae res gestas non ordine enumerat: expeditio enim in Orientem facta victoriam ab Aquitanis reportatam tempore antecedit.

VII.

In eorum sententiam eundum esse censeo qui de Cleone Atheniensi bene existimant.

VIII.

Iniuria Belochius (*G. G.* I, p. 72 sqq.; *Mus. Rhen.* 49 (1894), p. 111 sqq.) Phoenices temporibus antiquioribus cum gentibus Aegeo mari accolentibus commercium exercuisse denegat.

IX.

Iniuria Eduardus Meyer Israelitarum exitum ex Aegypto fictum esse opinatur; immo summa rerum, quae in libro Exodi narrantur, vera est.

X.

Pap. Lille I, I, 3, 71 editor Jouguetus sic legit:

Ἐν(τολὴ) τοῖς παρὰ Μητροδώρου τοῦ οἰκ[ο(νόμου) καὶ τοῖς τοπογρ(αμματεῦσι)].

Supplementum falsum esse puto; me iudice legendum est:

Ἐν(τολὴ) τοῖς παρὰ Μητροδώρου τοῦ οἰκ[ο(νόμου) καὶ τοῖς κωμάρχαις].

XI.

Pap. Tebt. I, 27, 29 sqq. edd. legunt:

δι' ὧν ἐδηλοῦτο ἀναγκαῖον εἶναι . . . . ληφθῆναι μετὰ τῆς ἑαυτοῦ γνώμης ἃς ὑπετίθετο χειρογραφίας ὅρκου βασιλικοῦ περὶ τῆς τῶν ἐπετείων γενημάτων τηρήσεως.

Legere malim: *δι' ὧν ἐδήλου τὸ ἀναγκαῖον εἶναι κτλ.*

XII.

Aesch. Choeph. 760 sqq. (Weil):

τούτων πρόμαντις οὖσα, πολλὰ δ', οἴομαι,
ψευσθεῖσα, παιδὸς σπαργάνων φαιδρύντρια
κναφεὺς τροφεύς τε ταὐτὸν εἰχέτην τέλος.

V. 760 pro *οἴομαι* legere malim *ᾠόμην.*

XIII.

Iniuria Weckleinius Aesch. Choeph. adnotat:

ad verba τούτων πρόμαντις οὖσα: *„nämlich durch das Geschrei des Kindes gemahnt."*

ad v. 755: *„Die Änderung des Satzes dient dem humoristischen Tone der Rede."*

XIV.

Aesch. Pers. 579 sqq. sic legas:

. . . . τοκέες τε
παῖδα, δαιμόνι' ἄχη, ὀᾶ,
δυρόμενοι· γέροντές τε πᾶν δὴ κλύουσιν ἄλγος.

XV.

Iniuria Herwerdenus et Rutherfordius Thuc. IV, 3, 3 verba ἑτέρου μᾶλλον expungunt.

XVI.

Non audiendi sunt illi viri docti, qui praepositionem ἐν cum Dativo instrumenti ortam esse putant ex praepositione Hebraica בְּ.

XVII.

Iniuria Leeuwenius in verbis „Καὶ Ἀθηναῖοι δ' αὐτὸν ξθ' ἔτων ὄντα στρατηγὸν εἵλοντο πρὸ τῶν Πελοποννησιακῶν ἔτεσιν ἑπτὰ ἐν τῷ πρὸς Ἀναίους πολέμῳ" (Vita Sophoclis; cf. Dindorfii Scholia in Sophoclis Tragoedias Septem; Oxoniae 1852, p. 3) testimonia

de tribus poetae praeturis contaminata esse putat (*Mnem. N. S.* XX, p. 213). Potius crediderim illa verba corrupta pertinere tantum ad praeturam maxime notam, i. e. secundam.

XVIII.

Iure Leeuwenius in Aristophanis Pacis editione interpretationem v. 693 sqq., quam olim exposuerat in *Mnem. N. S.* XX, p. 217 sqq., retractat.

XIX.

Iuv. Sat. VI, 149 sq.:

interea calet et regnat poscitque maritum
pas^t^ores et ovem Canusinam etc.

Legendum esse censeo:

interea callet: regnat etc.

XX.

Iuv. Sat. X, 54 sq.:

ergo supervacua aut perniciosa petuntur
propter quae fas est genua incerare deorum.

Maxime iis assentior, qui v. 54 vocabulum „vel" excidisse putant. V. 55 sic legendum esse censeo:

propter quae falsum est etc.

XXI.

Tac. Ann. XV, 37:

Ipse per licita atque inlicita foedatus nihil flagitii reliquerat, quo corruptior ageret, nisi paucos post dies uni ex illo contaminatorum grege . . . . denupsisset.

Non recte legitur „nihil". Dubitans propono „nonnihil".

XXII.

Non audiendi sunt illi viri docti, qui P. Clodium, M. Caelii Rufi accusatorem, diversum esse ab illo tribuno plebis, fratre Clodiae, perhibent. (Cic. Cael. §§ 17, 27, 32, 36.)

XXIII.

Augusto imperatore Manilius carminis sui maiorem partem scripsit.

XXIV.

Iure Schanzius (*R. L. G.* II, 2, p. 230 sqq.) Müllenhoffii opinionem reicit Tacitum Germaniam scripsisse affirmantis, qua pericula ex Germanis populo Romano imminentia praemoneret.

XXV.

Het Zionisme is ook van cultuur-historisch standpunt beschouwd toe te juichen.

XXVI.

't Is ten zeerste gewenscht, dat aan onze universiteiten een afzonderlijk doctoraat in de geschiedenis wordt ingesteld.

